348.354
N 279

QUAESTIONES SELECTAE
DE IURE ADMINISTRATIVO ECCLESIASTICO

De loci Ordinariorum iuribus circa pia legata donationesve tum religiosis tum eorum ecclesiis etiam paroecialibus facta

LIBRARY
ROSE ROAD
BERKELEY, CA 94709

Accurante
R. P. Eulogio Nebreda
Cordis Mariae Filio
S. Theologiae et I. Canonici Doctore.

ALMA COLLEGE
348.354
LIBRARY
N279
Alma, California

ROMAE
Typ. Polyg. « Cuore di Maria »
MCMXXVI

30402

Nihil Obstat:

Stephanus M. García, C. M. F.

U. I. Doctor

Imprimatur:

Nicolaus García, C. M. F.

Sup. Gralis

Imprimatur:

✠ *Iosephus Palica,* Archiep. Philipp. - Vicesgerens.

EMINENTISSIMO · PRINCIPI

S · R · E · CARDINALI · FRANCISCO · RAGONESI

IVRIS · VTRIVSQVE · DOCTORI · MERITISSIMO

QVI · TRIBVNALIS · ROTAE · MATRITENSIS

PER · OCTO · ET · AMPLIVS · ANNOS

DIGNISSIMVS · PRAESES

NVPERRIME · SIGNATVRAE · APOSTOLICAE

PRAEFECTVS · EST · RENVNTIANTVS

HOC · QVALECVMQVE · OPVSCVLVM

IN · GRATISSIMI · ANIMI · PIGNVS

OFFERT · DICAT · NVNCVPAT

ROMAE · POSTRIDIE · IDVS · MAIAS

ANNI · MCMXXVI

EVLOGIVS · NEBREDA

C · M · F

INDEX ANALYTICUS

Introductio . . . . . *Pag.* 9
Facti species . . . . . » 9
Dubia . . . . . » 10
Proponitur verus quaestionis status . . . . . » 10
Notiones praeviae ad quaestiones solvendas . . . » 11

Pars Prima - De bonis, quae etiamsi Religiosis obveniant, subiiciuntur administrationi Ordinariorum loci . . . . . » 27
Articulus I. - De iure Ordinariorum loci ad bonorum ecclesiasticorum dioeceseos administrationem . » 27
Articulus II. - De bonis, quorum Ordinarius habet administrationem, quamquam Religiosis donata sint . . . . . » 31

Pars Secunda - De iure vigilantiae, quam habent Ordinarii locorum circa bona Religiosis donata . » 40
Articulus I. - Evincitur exsistentia huiusmodi iuris in genere . . . . . » 40
Articulus II. - De iure vigilantiae, quam habent Ordinarii locorum circa bona Religiosis donata intuitu paroeciae aut missionis . . . . . » 42
Articulus III. - De iure vigilantiae Episcoporum circa bona Rectoribus religiosis ecclesiarum non paroecialium nec missionum donata . . . . . » 52
Articulus IV. - De iure vigilantiae Ordinariorum loci quoad donationes legataque pia domui vel ecclesiis non paroecialibus Religiosorum facta . » 60
Articulus V. - De iure Ordinariorum loci quoad bona fiduciaria Religiosis concredita . . . . . » 70

Pars Tertia. - De bonis Religiosorum circa quae Ordinarius loci non habet administrationem neque vigilantiam . . . . . » 76
Conclusio . . . . . » 83

INTRODUCTIO

Quisque videt hanc tractationem magni esse momenti, cum propter rem ipsam de qua sermo instituitur, tum propter canones plures qui erunt in controversiam disceptationemque vocandi aut saltem adamussim enucleandi.

1. Facti species

Franciscus M[a] episcopus dioeceseos N. plures habet in sua dioecesi paroecias Religiosis concreditas ob saecularium sacerdotum inopiam.

Duarum curam agunt Religiosi exempti; hac tamen distinctione, ut altera earum in dominio sit Religiosorum, altera vero extra dominium eorum habeatur sitque ipsius dioeceseos: utraque tamen pleno iure unita est domui religiosae.

Rursus tres paroeciae concreditae sunt Religiosis non exemptis, in quorum dominio duae ecclesiae paroeciales habentur, altera vero ipsis tradita fuit in

usum perpetuum. Sicuti aliae duae nuper commemoratae pleno iure domui religiosae incorporatae sunt.

In hisce omnibus ecclesiis sunt aliquae piae fundationes stabilitae.

Duo tandem Religiosi sub fiducia bona quaedam ad pias causas acceperunt.

2. - Dubia

Quaerit igitur episcopus: 1) num ipse possit advigilare administrationi bonorum praedictarum ecclesiarum; 2) num etiam possit advigilare ipsis piis fundationibus in supra dictis ecclesiis constitutis, quanquam iure pleno communitati religiosae incorporatae sint; 3) num memorati Religiosi rationem de fiducia sua episcopo reddere teneantur.

3. - Proponitur verus quaestiones status

1. Nostra responsio paullo erit latior, quam quod dubia proposita prima fronte exigere viderentur; volumus enim simul aliis connexis quaestionibus et parare solutionem et praebere, ita ut noster tractatus integram materiam exhauriat. Quidquid sane in CIC statuitur quoad pia legata, pias fundationes, bona fiduciaria vel alia quaecumque bona Religiosis donata, quae quoquo modo respectum habeant ad locorum

Ordinarios horumque iura, hic tractabitur pariterque solvetur, in quantum fieri possit.

Tribus potissimum quaestionibus omnia concludi arbitramur; quae si recte proponantur solvanturque, omnia complanata erunt atque perspicua.

Primum ergo sermonem instituimus **de bonis, quae, etiamsi Religiosis obveniant, subiiciuntur administrationi et vigilantiae Ordinarii loci.**

Deinde agemus de **bonis, quorum Ordinarius loci habet tantum vigilantiam non vero administrationem:**

De bonis postremo **tractabitur, quorum nec administratio nec vigilantia loci Ordinario competit.**

Digesta hoc modo materia tractanda, statim adparent iura Ordinariorum, quanquam fortassis erunt aliqua repetunda, eo quod Ius canonicum alia via procedit; nos tamen hanc terere malumus claritatis ac perspicuitatis causa.

Quoniam vero in canonibus mox citandis multae passim occurrent notiones, quarum maxime interest exaequata cognitio, nobis visum est eas in antecessum exponere, determinare, constituere, ut postea rem adcurate et exquisite elaboremus.

4. - Notiones praeviae ad quaestiones solvendas

2. **Triplex radix** solutionis, nostra quidem sententia, prae oculis habenda est. *Prima* desumitur e *condicione Religiosorum;* altera e *condicione bonorum*, quorum administratio est advigilanda; tertia, quae

quidem est vel maxime consideranda *e condicione ecclesiarum*, quibus adscribuntur bona, nimirum dispiciendum est ad quos ecclesiae pertineant sensu quo deinde nn. 12-13 amplius enucleabitur.

3. Et primum quidem consideranda est *Religiosorum condicio*, quod et ipse CIC semper facit.

Religiosi vel Regulares esse possunt, vel exempti, vel Congregationum religiosarum. Regulares dicuntur, qui vota solemnia nuncuparunt (c. 488, 2°, 7°); Exempti audiunt, qui vota nuncuparunt in Religione sive votorum solemnium sive votorum simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta (c. 488); tandem Religiosi simpliciter dicuntur, qui vota simplicia sive perpetua sive temporalia in aliqua Congregatione religiosa emiserunt (c. 488).

4. Iam exponenda est *notio* tum *Ordinarii*, tum *exemptionis*. Notio Ordinarii colligitur ex canone 198; etenim non omnes qui iurisdictionem ordinariam habent, vocantur in iure Ordinarii.

« In iure *nomine Ordinarii* intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in Religionibus clericalibus exemptis (c. 198, § 1).

Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis (c. 198, § 2).

Notandum est cum Cl. P. Maroto: Omnes qui potestatem ordinariam obtinent, possent Ordinarii vocari; sed canones hunc titulum peculiariter reservant nonnullis qui *antonomastice* dicuntur Ordinarii.

Ergo in iure *nomine Ordinarii* intelleguntur *taxative* seu restricte: 1) Romanus Pontifex; 2) Episcopus residentialis; 3) Administrator Apostolicus, Vicarius et Praefectus apostolicus; 4) Ii qui praedictis deficientibus interim succedunt in regimine.

Ex iuris praescripto: 1) Capitulum cathedrale, sede episcopali vacante, antequam eligatur Vicarius Capitularis; 2) Post suam electionem Vicarius Capitularis; 3) Provicarius vel Propraefectus in Vicariatu vel Praefectura apostolica, deficiente vel impedita ad normam c. 429, § 1 iurisdictione Vicarii vel Praefecti.

Tandem Superiores maiores in clericalibus religionibus exemptis, quos distincte recensitos invenies in c. 488, 8°; unde colligitur Ordinarios quoque esse habendos Vicarios qui aliis Superioribus maioribus deficientibus per mortem, renuntiationem, absentiam etc. interim succedunt in regimine; Viceprovincialis; non autem Visitatores in Religione clericali exempta, nisi stabili munere fungantur.

Hi omnes veniunt nomine **Ordinarii,** non omnes tamen dicuntur *Ordinarii locorum;* videlicet, Superiores religiosi obtinent iurisdictionem *directe in*

personas, non in locum, ideo non sunt Ordinarii locorum; ceteri omnes Ordinarii, cum habeant iurisdictionem primario in locum, deinde in personas, dicuntur Ordinarii loci vel locorum (1).

Nomine Ordinarii vero non veniunt superiores locales religionis clericalis exemptae, nec Superiores maiores Congregationum laicalium etiam exemptarum, neque Superiores maiores Religionum non exemptarum (2).

5. Nihilominus alia hic quaestio in controversiam versari posset, nimirum *an et quo sensu* Superiores maiores Congregationum clericalium non exemptarum nomine Ordinariorum venire possint.

Cl. P. Arcadius Larraona egregie illam pertractat in Ephemeride « *Commentarium pro Religiosis* »; nos illam transmittimus, ne gressum nostrum impediat, actumque agamus, quod veteri proverbio prohibemur.

Quaedam tamen ibi tradita multum nobis placent; sufficiat haec pauca exscribere sive decerpere: « Religiones clericales iuris pontificii quoad plura iure communi, quanvis nuncupent vota simplicia tantum, a iurisdictione Ordinariorum localium sunt exemptae. Revera nequeunt hi se ingerere in regimen internum et disciplinam, exceptis casibus expressis in iure, aut in bonorum administrationem iuxta can. 618, § 2. Cum

(1) Maroto, n. 101; Larraona, *Commentarium*, an. 1923, pag. 117; Vermeersch-Creusen, I, 279; Chelodi, nn. 125, 126.

(2) Maroto, Larraona, Vermeersch, Chelodi, op. et loc. cit.

ergo de iis negotiis agitur, huiusmodi Superiores veniunt in iure nomine Ordinarii, utique *indirecte et ex limitata aequiparatione*, quoties nempe Codex de materiis agens, in quibus praefatae religiones Ordinariis non subsunt, *Ordinarium nominat* » (3).

6. **Exemptio,** generice sumpta, dicit libertatem a dominatu superioris immediati, qua fruitur is qui speciali tantum vel maiori praelato oboedientiam praestare debet. Itaque *religiosorum exemptio* est eorum libertas a iurisdictione episcopali seu Ordinarii loci, qua propriorum tantum praelatorum et Summi Pontificis regimen ferre cogantur (4).

De Meester hoc modo definit: « Exemptio regularium est privilegium, quo eorum personae et loca a iurisdictione Episcoporum aut Ordinariorum liberantur et subtrahuntur ac Romano Pontifici immediate subiiciuntur » (5).

Exemptio potest esse *personalis*, *localis*, *mixta*. *Personalis* liberat ipsas personas, ubicunque versentur, sed nullatenus loca ubi consederint; *localis* di-

---

(3) Larraona, loc. cit.; Cicognani: *Comment.*, ad lib. I CIC, pag. 33.

(4) Vermeersch-Creusen, I, n. 716. Placet animadvertere semel pro semper nos hic allegare edit. 1925, quia alioquin citationes frustra quaererentur. Obiter notamus Indicem alphabeticum voluminis tertii adamussim non respondere numeris marginalibus vol. I et II. Maroto, I, n. 728.

(5) De Meester, II, n. 1033; Cf. etiam Bondini, De privilegio exemptionis, Rom., 1919; Fanfani, n. 351; Prümmer, q. 239; Chelodi, nn.198, 281.

recte afficit loca, personas autem quatenus in eo sunt loco, ita ut simul cum adventu et discessu, initium vel finem habeat personarum exemptio; *mixta* simul personas et loca eximit iurisdictione Ordinarii, qui exceptis quibusdam casibus, neque in personas neque in locum quicquam possit.

Rursus exemptio localis seu mixta potest esse mere passiva, quo casu loca manent in territorio alieno, sed iurisdictioni Ordinarii subtrahuntur; et *activa*, quo casu locus iam fit *nullius dioecesis*, et Praelato competit iurisdictio in omnes personas, etiam religioni extraneas, quae in isto loco versantur (6).

7. Religiones *votorum simplicium* exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter eisdem fuerit concessum (c. 618, § 1); quanquam utilitates, quae iuxta PP. Prümmer et Fanfani, immo Leonem XIII, egregium Pontificem ac sapientissimum, ex illa exemptione proveniunt sive relate ad ipsos Ordines religiosos, sive ad Sedem Apostolicam, sive ad ipsos episcopos, eadem de causa pro omnibus Religionibus clericalibus militent (7).

Ait Fanfani: Utilitas huius privilegii est:

---

(6) Vermeersch-Creusen, I, n. 7166; Maroto, I, n. 728; Chelodi, n. 198.

(7) Prümmer, q. 240; Fanfani, n. 351; Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices*, Acta Apostol. Sedis, an. 1880, vol. XIII, p. 483; Vermeersch, *De Religios. Instit.*, I, n. 364; Bondini, op. cit,

a) **bonum Ordinum religiosorum,** eorum praesertim qui sub uno capite constituti sunt. Sic enim facilior est eorum gubernatio, quum Superiores melius oves cognoscant, maiorique prosequantur affectu; facilius ibi regularis observatur disciplina vel instauratur;

b) **bonum Sedis Apostolicae,** cuius auctoritas in universam ecclesiam exinde maxime enitet, ob ordinariam et immediatam potestatem in qualibet dioecesi. Insuper illius auctoritatis praecipue defensores semper fuere regulares exempti;

c) **bonum ipsorum Episcoporum,** in quantum hi de regularibus non tenentur rationem reddere, et in quantum regulares coadiutores sunt episcoporum in sacro ministerio, in salvandis populis.

Leo autem XIII haec praeclara verba habet in Constitutione citata: « Quanvis in ecclesiastica hierarchia, quae est *divina ordinatione* constituta, presbyteri et ministri sint inferiores Episcopis, horumque auctoritate regantur; tamen quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uteretur; denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum, haud immerito Romani Pontifices, quorum est dioeceses describere, ac suos cuique subditos sacra potestate regundos attribuere, Clerum regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt ».

At quadam exemptione, quam aliqui hodierni auctores *latam* dicunt, ipsae Congregationes iuris pontificii etiam gaudent. Ad rem Prümmer: **Exemptio** late dicta est partialis exemptio a iurisdictione episcopi in nonnullis tantum materiis, ex. gr. in administratione, in disciplina religiosa, in libera deputatione religiosorum in diversas domus Instituti religiosi etc. Talis exemptio late dicta competit omnibus religionibus iuris pontificii (8).

Et Chelodi: Omnes Congregationes iuris pontificii ampla fruuntur libertate in toto regimine interno, adeo ut ab hoc fere omnino excludant episcopi auctoritatem (9).

8. **Ex altera vero radice,** bonorum scilicet administrandorum, Ius canonicum mentionem habet sequentium: *fundorum* (c. 533), *donationum* (cc. 1513, 1536), *piarum voluntatum* (c. 1515), *piorum legatorum* (c. 1560), *piarum fundationum* (cc. 1544-1550), *bonorum fiduciarie acceptorum* (c. 1516).

Iam **fundi** proprie sunt agri frugiferi. Sed hic intelligendi videntur etiam pecuniae vel res immobiles frugiferae aut aliae in pecuniam convertendae (10).

Donationis verbum simpliciter loquendo omnem donationem complectitur sive mortis causa sive non

---

(8) Prümmer, q. 239, not. 2; Vermeersc-Creusen, n. 721.
(9) Chelodi, n. 281.
(10) Vermeersch-Creusen, I, n. 606, 2; Cocchi, VI, n. 54; Bouuaert-Simenon, n. 632.

mortis causa fuerit; at de donatione non mortis causa hic vertitur quaestio. *Donatio* ergo *inter vivos* est contractus, quo donator ex intentione liberalitatis donatario rem suam quoad dominium sine ulla restitutionis obligatione concedit. Vel, ut ait Cocchi: Est contractus quo dominium rei licitae alteri ex liberalitate irrevocabiliter fit. Haec donatio efficax est a die qua fuit acceptata; vocatur inter vivos, quia per hanc dominium rei statim transmittitur absque ulla mortis consideratione (11).

Pia voluntas dicitur quaevis bonorum dispositio ad piam causam; causa autem dicitur pia, quando respicit favorem Religionis vel christianae virtutis (12).

9. **Legatum** alia ratione considerabatur iure antiquo romano, alia vero hodiernis codicibus civilibus. Ac iure quidem Romanorum *erat dispositio testamentaria continens donationem aliquam a defuncto relictam et ab herede praestandam* (13).

Verum ipse tamen Iustinianus ita iam definiebat: *legatum est donatio quaedam a defuncto relicta* (14). Haec notio non multum differt a notione, quam moderni codices tradunt, siquidem non exigunt institu-

(11) Cocchi, VI, n. 189; Vermeersch-Creus., I, n. 857.

(12) Fanfani, n. 176; Vermeersch-Creusen, II, n. 865; Cocchi, VI, n. 189.

(13) Cocchi, loc. cit. Cfr. Vidal, *Instit. Iur. Civ. Rom.*, n. 611.

(14) *Institut. lib. 2, XX.* Cfr. Vidal, loc. cit.

tionem heredis, immo admittunt universam hereditatem posse in legata distribui (15).

Quare pium legatum recte dici potest *dispositio testamentaria continens donationem aliquam in bonum religionis a defuncto relictam* (16).

10. **Pia fundatio** *stricte sumpta* a Iure canonico ita describitur: « Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex redibitus annuis aliquas missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi; aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi » (c. 1544).

Dicitur 1) bona data alicui personae morali *cuicunque* (c. 99), ex. gr. communitati religiosae; 2) *quoquo modo data*, quatenus bona dari possunt per testamentum, legatum, brevi manu; 3) cum onere in perpetúum vel *in diuturnum tempus*.

Quid nomine diuturni temporis veniat, CIC non determinat; ideoque auctores in diversas abeunt sententias. Vermeersch computat tempus eadem ratione qua computatur pro praescriptione. Diuturnum tempus, inquit, erit spatium quinquaginta annorum vel etiam decem annorum, quod ante Codicem auctores existimabant longum tempus pro praescriptione (17).

---

(15) *Cod. hispan.* aa. 858, 891; *Cod. ital.* 760, 827.
(16) Vermeersch-Creus., II, n. 865.
(17) Vermeersch-Creus., II, n. 865.

P. Blat scribit: *in diuturnum tempus*, circiter 40 annos ob analogiam consuetudinis diuturnae, vel melius ex receptis apud probatos auctores interpretationibus aestimandum (18).

Reapse hic non agitur de praescriptione bonorum ecclesiasticorum.

Bouuaert-Simenon scribit: Si quis opus religionis vel caritatis exsequi intendat, habetur pia voluntas; quod si haec fiat per actum mortis causa, dicitur pium legatum. Et si huic piae voluntati quaedam stabilitas seu perennitas addatur, conferendo scilicet bona data aut legata alicui personae morali in ecclesia eo fine ut opus religionis aut caritatis non semel tantum sed per diuturnum, v. gr. decem vel viginti annos, possit impleri, habetur fundatio pia (19).

11. **Bona fiduciarie accepta** sunt bona quae quis distribuere debet iuxta intentiones dantis. Haec bona potest quis accipere sive per donationem inter vivos sive mortis causa (20).

Fiducia habetur in iure, quotienscumque aliquid alienae fidei committitur. Et dicitur non solum de subiectiva fiducia, sed etiam de re quae sic alienae

---

(18) Blat, in can. 1544, n. 462.

(19) n. 1052. Prümmer e contrario ait: Non est fundatio, si testator legat 10.000 Marcarum ea condicione, ut per 10 annos quotannis dicantur 100 Missae: *decem* anni enim non censentur diuturnum tempus. *Videtur* requiri, ut onus duret saltem per 50 annos. (q. 456).

(20) Cocchi, VI, n. 195.

fidei committitur. Sic fiducia est res, quae pignori datur, quae alienatur vel venditur vel traditur cum obligatione restitutionis. Maxime autem est res donata vel legata cum obligatione alicuius pii usus vel transmissionis ad institutum pium. Persona, cui haec fiducia traditur, dicitur hodie *fideicommissarius* (21).

12. Aliam magni momenti praenotionem oportet nos habere: utrum ecclesiae scilicet ad Religiosos pertineant necne. Sane huiusmodi ecclesiae vel **in dominio** habentur Religiosorum, vel **in usu perpetuo, vel alia ratione stabili** subsunt alicuiius Religiosae Familiae moderationi et regimini (cc. 630, § 4; 615, 842, 1550).

Mea quidem sententia hic stat magna ex parte cardo controversiarum et difficultatum; quae doctrina si vera est, statim controversiae luce magna clarescunt.

Haec doctrina apertissime traditur a Cl. P. Maroto, iuris canonici ad S. Apollinaris egregio Professore. At vero cum dubium loquatur, inquit, de ecclesiis Religiosorum, in quibus erecta vel translata reperiuntur legata illa, non sunt huiusmodi ecclesiae intelligendae eo sensu, quod debeant pertinere ad dominium seu proprietatem Religiosorum, *sed sufficit ut quadam ratione stabili subsint alicuiius Religiosae Familiae moderationi et regimini;* nam tunc etiam habentur et dicuntur esse Religiosorum ecclesiae, ac in eis adhibendum est v. gr. ipsorum Religiosorum

(21) Vermeersch, II, n. 836; Fanfani, n. 175.

Calendarium pro Divini Officii recitatione et Missae celebratione, id enim, iuxta decreta S. R. C. servandum est etiam in ecclesia vel sacello Seminarii cuius directionem gerant Sodales alicuius Congregationis Religiosae (22), immo et in ecclesiis quae sacerdotibus Regularibus ad tempus concreditae sunt (23), *dummodo tamen ecclesiae pertineant ipsi Religiosae Familiae*, minime vero si alicui Religioso tanquam personae privatae fuerint concreditae (24).

---

(22) *Ephemerid. Liturg. XXI*, 465 seqq.

(23) *Decr. authent.*, nn. 4150, 4151, 4252 etc.

(24) Maroto, *Commentarium pro Religios.*, an. 1921, p. 101. — Ut vero adamussim doctrina tradita intelligatur, animadvertendum est Coetum S. R. E. Cardinalium a Summo Pontifice peculiariter designatum, dubia quaedam solvisse circa competentiam SS. CC. Concilii et de Religiosis in quibusdam negotiis Religiosorum. Inter haec dubia secundum aiebat: Utrum concedere, servatis consuetis normis, sanationes et condonationes quoad praeteritum, et reductiones quoad futurum relate ad capellanias et alia legata, quae, licet concredita non sint Ordini aut familiae religiosae, qua talis, erecta tamen aut translata reperiuntur in ecclesiis Religiosorum, spectet ad S. C. Concilii, an potius ad S. C. de Religiosis. - Resp. Privative ad S. C. de Religiosis, quoadusque legatorum administratio ed adimplentum concredita sint Religiosis. 24 *Mart. 1919.* — Iuvat integrum commentarium P. Maroto hic exscribere. Alterum dubium versatur circa materiam capellaniarum et legatorum, quae si pertineant ad alios, non Religiosos, sunt accesenda competentiae Congregationis Concilii; et hinc quaerebatur an etiam capellaniae et legata Religiosis concredita, saltem si concredita non sint Ordini aut Familiae religiosae, qua tali, deberent eidem Congregationi Concilii attribui, an potius spectent ad S. C. de Religiosis. Et dubium quidem proponebatur peculiariter de sanationibus, condona-

13. Rursus distinguit ius inter paroecias *iure pleno* aut *non pleno iure* monasterio vel domui religiosae incorporatas (c. 1425).

Iam unio beneficiorum multiplex esse potest, (c. 1419). Ad uniones quas CIC memorat, addi potest *incorporatio*, quae habetur, quando beneficium quoddam realiter cuidam collegio vel instituto in perpetuum unitur. Per se est unio minus principalis, sed memoranda est, quia fit vel *pleno iure*, quando iura tum spiritualia tum temporalia isti instituto, ut puta monasterio, uniuntur; vel *non pleno iure*, id est, quoad temporalia tantum, si sola bona temporalia incorporantur, distincto autem subiecto tribuitur ius seu officium spirituale, propter quod alimenta percipit a subiecto cui unio facta est.

Si v. gr. una cum reditibus cura habitualis paroeciae tribuitur in perpetuum cuidam monasterio, uti plerumque contingere solet, incorporatio facta est

---

tionibus et reductionibus onerum ad eas capellanias et legata pertinentium, sed posset extendi pariter ad alia quae ipsas capellanias et legata attingunt. Responsum ergo prodiit in favorem privativae competentiae S. C. de Religiosis; quoniam revera illa est materia, quae, iuxta responsionem datam ad primum dubium, attingit aliquod ius aut commodum seu interesse Religiosae Familiae, cui administratio et adimplementum legatorum est saltem tunc temporis concredita: sin vero in eorum legatorum administratione et adimplemento cessaverit religiosa illa Familia, tunc iam res non amplius pertineret ad competentiam S. C. de Religiosis, et caderet sub competentia S. C. Concilii. — At vero cum dubium etc.

pleno iure, et tunc per vicarium temporalem seu parochum religiosum cura actualis exercetur, quemadmodum tradit can. 471,§§ 1-3; c. 454, § 5.

Si vero non pleno iure sit incorporata, tunc domus religiosa particeps fit solummodo fructuum paroeciae et cura actualis exercebitur a vicario perpetuo, quem monasterium alere debebit (25).

Expresse doctrinam istam affert canon praedictus: Si a Sede Apostolica paroecia domui religiosae uniatur ad temporalia tantum quod attinet, domus religiosa particeps fit solummodo fructuum paroeciae, et Superior religiosus sacerdotem e clero saeculari in eadem instituendum, assignata congrua portione, Ordinario loci praesentare debet (c. 1425, § 1).

Sin autem *pleno iure, paroecia fit religiosa,* et Superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare et instituere, eiusque iurisdictioni, correctioni et visitationi ipse subesse debet in iis rebus quae ad curam animarum pertinent, ad normam can. 631 (c. 1425, § 2).

14. Tandem distinguendi sunt conceptus **administrationis** et **vigilantiae** nam ius de utraque sermonem instituit.

---

(25) Vermeersch-Creus., II, n. 752; Fanfani, n. 446; Chelodi, n. 222. Insuper videri possunt Cocchi, VI, n. 93 et Wernz-Vidal, II, n. 175, qui dilucide totam materiam proponunt. Cf. infra, n. 54.

P. Vermeersch notionem administrationis hisce verbis perpulchre tradit: Quod gubernatio personis, id administratio est rebus; per gubernationem et administrationem ambo conservantur et ad fines suos perducuntur. Cum autem res sint propter personas, administratio huc spectat, ut fructus gignantur, percipiantur et quibus competit, tribuantur.

Administratio itaque omnes actus complectitur, quibus res conservantur, meliores fiunt et utiliores vel fecundiores, et quibus fructus percipiuntur et applicantur (26).

P. Cocchi hoc modo definit: Administratio est summa actuum, qui requiruntur ad conservationem et meliorationem et applicationem fructuum et redituum, qui oriuntur ex bonis ecclesiasticis (27).

Vigilantia est ius quod Ordinarii habent visitandi, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis (28).

Animadvertendum esse ducimus *ius vigilantiae non derivari* e *iure administrationis;* cum illud sine isto valeat existere.

---

(26) Vermeersch-Creus., II, 838. Cf. etiam Wernz, III, n. 147; De Meester, II, n. 918; Fanfani, n. 155.

(27) Cocchi, VI, n. 197.

(28) Cf. can. 1519 sqs. Vermeersh-Creus., II, n. 843; Cocchi, VI, n. 200; Fanfani, n. 452.

PARS PRIMA

De Bonis, quae etiamsi Religiosis obveniant, subiiciuntur administrationi Ordinariorum loci.

ARTICULUS I.

De iure Ordinariorum loci ad bonorum ecclesiasticorum dioeceseos administrationem

15. Iam perveniamus oportet ad nostri tractatus singulas partes dirimendas. Primum sane quaestio praevia constituitur: num videlicet pro suo territorio vel dioecesi Ordinarius sit *administrator supremus*, *licet non solus nec immediatus*, bonorum ecclesiasticorum ad exemptos non spectantium.

Controvertitur apud canonistas. Id asseruerunt aliqui scriptores ante CIC, uti P. Wernz, qui ait: Summus administrator bonorum omnium ecclesiasticorum est Romanus Pontifex vi primatus iurisdictionis. Episcopi *sunt supremi administratores* bonorum ecclesiasticorum, quae in dioecesibus reperiuntur, neque iure speciali iurisdictioni episcoporum sunt subducta, v. gr. bona temporalia virorum regularium exemptorum.

Cum nostra aetate ex disciplina vigenti nequaquam omnia bona ecclesiastica in dioecesi sint massa quaedam communis, sed inter complura subiecta dominii distincta, *Episcopus non est unicus administrator in sua dioecesi.* Is enim imprimis *administrat bona mensae suae et fundos communes totius dioecesis* sive per se sive per oeconomos a se deputatos » (29).

Inter auctores, qui post CIC scripserunt, non est una et concors sententia. Forsan diversitas potius nomine sistit quam re. Nihilominus has sententias referimus.

P. Blat sententiae Wernz nuper commemoratae adhaerere videtur. Ordinarii loci ius administrandi supponit ac moderatur can. 1520, sicut patet ex responso S. C. de P. Fide, quo dicitur episcopos habere ius administrandi bona ab ecclesiis acquisita ad formam canonum et iuxta intentiones fundatorum (30).

Prümmer concedit episcopum esse administratorem bonorum ecclesiasticorum dioeceseos, *negat vero esse unicum et posse propria auctoritate de illis disponere.* Loci Ordinarius, inquit, est supremus non autem immediatus et unicus administrator omnium bonorum ecclesiasticorum suae dioecesis. Sed episcopus non videtur posse propria auctoritate disponere de bonis suae dioecesis (31).

---

(29) Wernz, III, nn. 150, 151.
(30) Blat: *de Rebus*, n. 434.
(31) Prümmer, q. 449.

P. Cocchi varias refert opiniones hoc modo (32): Quaeritur utrum pro suo territorio Ordinarius loci sit supremus, licet non solus neque immediatus administrator bonorum ecclesiasticorum ad exemptos non pertinentium. Wernz affirmat: Augustine et Ojetti asserunt Ordinarium habere intentionem fundatam in iure; at Prümmer convenit cum Blat qui dicit Codicem ius administrandi supponere et moderari ex modo loquendi c. 1520, et ex responsione S. C. de Prop. Fide ad II ad formam canonum et iuxta intentionem Fundatorum; ideo supremi administratoris ius Ordinario loci negat Vermeersch, solum ius advigilandi et ordinandi ei tribuens; porro episcopis ius esse administrandi res ecclesiasticas etiam in bona non exempta tanquam *speculatores* ac *ordinatores* eruitur ex ipso Concilio Tridentino (33). Unde ipse praedictam Wernz sententiam amplecti videtur.

16. Ceteri vero, quos vidi, contrariam sententiam tenent, et quidem veluti omnino certam et novo CIC apprime consonam; etenim hic distinguit inter Romanum Pontificem et locorum Ordinarios; Christi in terris Vicario administrationem tribuit; hisce vero vigilantiam tantum administrationis.

Romanus Pontifex, inquit, est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator (c. 1518).

(32) Cocchi, VI, n. 200.
(33) *Concil. Trident.*, Sess. VII, cp. 15.

Loci vero Ordinarii est *sedulo advigilare administrationi* omnium bonorum ecclesiasticorum, quae in suo territorio sint, nec ex eius iurisdictione fuerint subducta, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribunant (c. 1519, § 1).

17. Audiamus nunc praecipuos scriptores hodiernos. P. Vermeersch, qui merito connumeratur inter celebriores canonistas, inquit: Codex consulto abstinet a modo dicendi quo egregii quoque canonistae, v. gr. Wernz, efferebant Episcopum tanquam supremum administratorem bonorum ecclesiasticorum in sua dioecesi stantium et non pertinentium ad exemptos.

Sane ante divisionem bonorum massa communis erat ab Antistite administrata; sed ex quo distincta beneficia constituta sunt, a lege alienum est, ut Episcopus ad se omnem administrationem revocet; id non solum inlicite, verum etiam invalide, exceptis casibus in iure praevisis, tentaret, quando non agitur de bonis, quae spectant ad ipsum, ut bona mensae suae, et bona quae toti dioecesi communia sunt (34).

F. Claeys et G. Simenon scribunt: Ordinarius loci in dioecesi sua non est, sicut Romanus Pontifex in universa Ecclesia, administrator et dispensator. Ius eius reducitur ad vigilantiam, et vi huius iuris potest semper exigere ut ipsi reddatur ratio administrationis bonorum ecclesiasticorum, nisi agatur de viris religiosis exemptis (35).

(34) Vermeersch-Creusen, II, n. 840.
(35) Claeys-Simenon, n. 1006.

ARTICULUS II.

De bonis, quorum Ordinarius loci habet administrationem, quanquam Religiosis donata sint

Doctrina, quae modo a nobis tradenda est, nullas fere patitur angustias difficultatesve; Codex enim iuris canonici sat explicite loquitur; fatemur tamen non ab omnibus hodiernis canonistis eodem modo hanc doctrinam intellegi, immo esse in canone 530, § 4 aliqua verba, quae ansam vel occasionem cuiusdam dubitationis praebere possunt. Duabus propositionibus totam materiam concludimus.

I. Ad superiores religiosos pertinet eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare, si ecclesia sit communitatis religiosae: - quod si ecclesia paroecialis non sit communitatis religiosae, sed dioecesis, haec omnia pertinent ad loci Ordinarium.

18. Haec nostra conclusio totidem verbis continetur in canone 630, § 4: Non obstante, inquit, voto paupertatis, religioso parocho licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis quovis modo oblatas accipere, aut colligere, et acceptas sive collectas administrare, itemque servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris.

Sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit communitatis religiosae.

Secus ad loci Ordinarium.

19. Tria in hoc canone apertissime asseruntur; circa duo priora ne minimum quidem dubium exoriri potest; aliqua vero difficultas quoad sensum postremorum verborum esse potest, quemadmodum infra dicemus.

1) Religiosus parochus potest eleemosynas in bonum paroecianorum accipere, collegere, et collectas administrare... salva semper vigilantia superioris et Ordinarii. Parochus enim est administrator bonorum tam beneficii quam ecclesiae; paroeciam iuridice repraesentat eiusque nomine agere valet (36).

Obiter notamus cum P. Fanfani: Vigilantia, quae competit superiori, ius importat cognoscendi per se vel per alios, et quoties vel quovis modo ipsi opportunum videbitur, de acceptis et expensis a parocho pro operibus paroeciae; exigendi etiam ut administratio sit ordinata, prudens etc.; minime tamen determinandi quo modo eleemosynas aliaque bona sint impendenda, neque a fortiori avocandi ad se distributionem totalem vel partialem horum bonorum. *Haec omnia ad parochum exclusive pertinent.* Quoadusque ergo reli-

(36) Cfr. Chelodi, nn. 210, 226, 284; Bouaert-Simenon, n. 683; Prümmer, n. 250; can. 1182, §§ 2-3.

giosus munus parochi conservat, in supradictis bonis administrandis a proprio religionis superiore, stricte loquendo, non depnedet (37).

Verum addit tamen praelaudatus auctor: Superior religiosus poterit, si modus supra dicta bona impendendi et administrandi ei non satisfecerit, neque parochus animadversionibus et consiliis superioris parcere intendit, ipsum a paroecia amovere iuxta can. 454, § 5. Precaria sane ac misera horum parochorum condicio!

2) Eleemosynas in specie pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, *si ecclesia sit communitatis religiosae.*

Sedulo animadvertendum est hic agi *de communitate religiosa quacunque.* Non ergo instituitur hic sermo de communitate religiosorum exemptorum, sed de communitate quorumcunque religiosorum. Quanquam aliqui recentiores canonistae non loquantur cum hac distinctione ac perspicuitate, res tamen manifesta est. Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Communitas autem religiosa dicitur communitas quorumcunque religiosorum (c. 488, 5.).

Praeterea hic agitur de ecclesia quae vere pertineat ad communitatem religiosam sive dominio, sive

(37) Fanfani, n. 452.

usu. Iam vero secundum ius canonicum non modo religio, sed etiam provincia et domus sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum reditibus stabilibus seu fundatis (c. 531); et haec bona tum religionis, tum provinciae domusque administrantur ad normam constitutionum (c. 532, § 1); nec Ordinario loci ullatenus licet de hac re oeconomica cognoscere (c. 616, § 2, 1.).

Quod dicitur de ecclesiis paroecialibus, valet a fortiori pro ecclesiis religiosorum non paroecialibus.

Haec doctrina ab omnibus canonistis defenditur, quos videre potuimus (38).

3) Eleemosynas vero pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad loci Ordinarium, si ecclesia non sit communitatis religiosae.

Haec assertio deducitur e verbis canonis: *secus ad loci Ordinarium*. Quae tamen verba non carent aliqua difficultate: nimirum, haec clausula canonis significat ne veram administrationem esse penes Ordinarium loci, qui illam delegat vel delegare potest parocho religioso?

Triplex sententia excogitari potest ad haec verba rite intellegenda. *Prima* est eorum canonistarum, qui asserunt revera in hoc canone concedi Ordinario loci

(38) Vermeersch-Creusen, I, n. 739, 4; II, n. 492; Fanfani, n. 452; Cocchi, V, n. 127; Blat, in can. 630, n. 707.

aliquid amplius prae sola vigilantia, nimirum, ipsam administrationem, et quidem exclusive, quamque delegare potest ipsi parocho Religioso. Ita sentiunt *Vermeersch-Creusen*, *Chelodi*, *Simenon*, *Prümmer*, quorum verba iuvat aferre.

Vermeersch: Hoc alterum punctum Augustine in h. can. existimat fore difficilis executionis. Sed, ni fallimur, canon ius definit, non prohibens quin, quantum expediat, delegatio seu commissio parocho a Superiore vel ab Ordinario tribuatur (39).

Chelodi: secus ad Ordinarium, qui sane potest parochum ad hoc munus delegare (40).

Bouuaert-Simenon: Delegari potest ad hoc opus parochus religiosus a superiore vel ab Ordinario loci (41).

Prümmer: Sin autem ecclesia est saecularis, haec omnia pertinet ad Ordinarium loci (42).

In hac sententia subtrahitur parocho religioso aliquod ius, quod omni parocho a Codice tribuitur et adiudicatur loci Ordinario. Sane certum est ex canone 1182 parochum esse administratorem bonorum, quae donantur ad reparandam decorandamve ecclesiam, ideoque non eget delegatione Ordinarii loci. Ait enim: Firmo praescripto can. 1519-1528, administratio bo-

(39) Vermeersch, loc. cit.
(40) Chelodi, n. 284.
(41) Bouuaert-Simenon, n. 683.
(42) Prümmer, q. 250.

rum quae destinata sunt reparandae decorandaeque ecclesiae divinoque in eadem cultui exercendo, pertinet... ad rectorem, si agatur de alia ecclesia (§ 1). Etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis administrat parochus aut missionarius (§ 2). Parochus, missionarius, rector saecularis ecclesiae debet huiusmodi oblationes administrare ad normam sacrorum canonum (§ 3).

Secunda sententia admittit duplicem administratorem immediatum, nimirum loci Ordinarium et parochum, sub distincta tamen ratione. Sicut enim Summus Pontifex est supremus administrator et dispensator omnium bonorum ecclesiasticorum (c. 1518), ac consequenter in casu aliquo particulari decernere ipse potest quomodo bona impendenda aut distribuenda sint; ita Ordinarius loci in hoc particulari casu determinare potest qua ratione bona impendenda, distribuenda applicandave sint, quia Codex ipsi concedit ius administrationis *simul cum iure parochi*.

Per se Ordinario loci competeret tantum ius invigilandi administrationi bonorum, quae ad ecclesiam aedificandam, ornandam etc. a fidelibus donantur: si vero ex aliis iuris praescriptis, vel ex fundatione aut ex testamento potiora ei iura tribuantur, his praescriptionibus standum est, quemadmodum tradit can. 1519. Iamvero e can. 630, § 4, ei tribuitur ius administrationis; sed huiusmodi ius est *cumulativum* cum iure parochi et *superius;* quare potest ordinare quomodo adhibenda sint bona a fidelibus tradita.

Tertia sententia proposita est ab egregio quodam canonista, qui censet hic non agi de vera administratione episcopali, sed de vigilantia tantum administrationis.

Probatur imprimis ex ipso contextu canonis. Sicut enim cum ecclesia paroecialis est religiosa, administratio pendet a Superioribus religionis, ita cum ecclesia paroecialis non est religiosa, administratio pendet ab Ordinario loci; reddendae profecto sunt ipsi rationes administrationis; sed Ordinario loci, tanquam immediato administratori, non competit eleemosynas colligere, apud se retinere, administrare; verum id competit parocho religioso, qui subest vigilantiae Ordinarii loci, non suorum superiorum.

Accedit alia ratio non parvi momenti. Expedit namque concordare iura iuribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitare. Scribit Cl. Cicognani, commentans can. 18: si lex dubia et obscura manserit, recurrendum est ad locos Codicis parallelos; nam praesumitur quod una ac semper eadem fuerit mens legislatoris, et canon nequit repugnare canoni. Correctio iuris odiosa est et omnino vitanda quantum fieri potest, quod pariter elucet e sensu canonis 23 (43).

Debent ergo huiusmodi canones inter sese conciliari: duas autem leges conciliamus, inquit Toso, cum utramque sine alterius praeiudicio interpretamur (44).

---

(43) Cicognani, II, pag. 128, 43, 145.

(44) Toso: *Commentaria minora*, p. 71.

Inhaerendo igitur ipsis materialibus verbis canonis 630, § 4, videtur amplectenda prima sententia, ita ut dicamus ius parochi religiosi hac in re esse minutum, ideoque ius esse correctum; altera sententia nobis minus arridet, quanquam sustineri forsan possit; sed stando principiis generalibus iuris, tertia sententia probabilior dicenda esset, cum iura non corrigat et adamussim concordet.

II. Conclusio. **Bona, quae Religiosis donantur pro universa dioecesi aut missione, sub administratione sunt Ordinarii loci.**

20. Haec doctrina, modo bene intellegatur, certa est ac inter doctores communis. Nam, praeterquam quod e iam dictis abunde consequitur, id quoque demonstrat natura ipsorum bonorum. Sunt enim bona ecclesiastica, quae pertinent ad dominium totius dioecesis aut missionis: ergo cura administrationis pertinet ad caput dioecesis aut missionis, videlicet, ad episcopum seu loci Ordinarium.

Diximus supra, *dummodo recte intellegatur;* nam si Religiosus bona vel donationem accipiat, ut in beneficium dioecesis impendat quidem, sed non praecise ut in dominium transeant dioecesis, administratio erit apud Religiosos, ratio tamen erit reddenda loci Ordinario.

P. Vermeersch hisce verbis declarat: Quod intuitu universae missionis vel dioecesis datum est, per se ab Ordinario loci est administrandum. Diversa tamen esse potest voluntas fidelium offerentium bona. Ju-

dicium enim de meliore applicatione bonorum vel pecuniarum suarum, quod quis sibi legitime reservare potest, etiam alii committere nullo iure prohibetur.

Quare bona, intuitu missionis in genere oblata, praesumuntur quidem tradenda esse Ordinario loci ut ea administret, sed demonstrata contraria oblatorum voluntas servanda est (45).

Quia vero haec quaestio intimum nexum habet cum iis, quae deinde tractabuntur, perspicuius ex illis adparebit.

---

(45) Vermeersch-Creusen, II, n. 857.

PARS SECUNDA

De iure vigilantiae, quam habent Ordinarii locorum circa bona Religiosis donata.

ARTICULUS I.

Evincitur exsistentia huiusmodi iuris in genere

21. Asserendum est imprimis ius Ordinariorum loci ad invigilandum administrationi bonorum ecclesiasticorum in sua dioecesi vel territorio stantium, nisi ab eius vigilantia fuerint subducta.

Principium generale ab omnibus canonistis admissum hoc est. Episcopus supremam habet in dioecesi potestatem administrativam seu executivam, quae ab ipso CIC recognoscitur (c. 336, §§ 1, 2). Ex qua observantiam canonum urget, advigilat ne abusus in ecclesiasticam disciplinam irrepant, administrationem bonorum ecclesiasticorum ordinat et gerit (46).

(46) Chelodi, n. 190.

Suprema administratio, inquit VERMEERSCH, dioecesis, episcopo committitur; ideoque potest... bona ecclesiastica administrare (47).

22. Canon autem 1519 expresse id asserit: *Loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum, quae in suo territorio sint, nec ex eius iurisdictione fuerint subducta, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.*

Textus recentiorum canonistarum abundant: sufficiat paucos referre.

VERMEERSCH-CREUSEN: Episcopi munus est advigilantis et ordinantis. Quocirca c. 1519, 3 2 vult ut, intra fines iuris communis, de bonis quae sunt in sua dioecesi, nec sunt eius iurisdictioni subducta, episcopus opportunis instructionibus universum administrationis negotium ordinet. In qua tamen re non *debet arbitrarie procedere, sed attendere ad iura quaesita*, et rationem habere consuetudinum legitimarum et circumstantiarum (48).

COCCHI: Ordinarii locorum ius habent et officium sedulo advigilandi administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum, quae sunt in suo territorio, nec ex eius iurisdictione subducta; salvis legitimis praescriptionibus, contentis in tabulis fundationis vel in privilegiis, quae eidem Ordinario potiora iura tribuant (49).

---

(47) VERMEERSCH-CREUSEN, I, 406.
(48) VERMEERSCH-CREUSEN, II, n. 840.
(49) COCCHI, VI, n. 200.

De Meester ait: Itaque Episcopus ex officio et iure invigilat rectae administrationi bonorum temporalium ecclesiarum et locorum (50).

Simenon postremo inquit: Ius episcopi *reducitur ad vigilantiam*, et vi huius iuris potest semper exigere ut ipsi reddatur ratio administrationis bonorum ecclesiasticorum, nisi agatur de viris religiosis exemptis; et *ad ordinationem administrationis*, et ita peculiares instructiones de administratione illorum bonorum edere valet. Praescriptiones quas Codex non excludit eae tantum sunt, quae Ordinario loci iura potiora tribuant: exemptio vero a iure Ordinarii in hac re tantum privilegio apostolico obtineri potest, et ideo non est praescriptioni obnoxia (c. 1509, 2°) (51).

ARTICULUS II.

De iure vigilantiae quam habent Ordinarii locorum circa bona religiosis donata intuitu paroeciae seu missionis

23. Oportet ut iam singillatim videamus circa quae bona, religiosis donata, ius vigilantiae habeant Ordinarii locorum. Quaestio sane valde controversa, multum implexa et parum explorata. Accedit praeterea hic agi de re aliquantulum odiosa, eo quod unusquisque facillime sibi persuadet ius suum adversus alium

(50) De Meester, II, n. 687.
(51) Claeys-Simenon, n. 1006.

merito vendicare. Quocirca in angustias et opinionum dumenta nostram compellimus orationem.

Quo tamen liquidior adpareat doctrina, gradatim servantesque discrimina rerum procedemus. Sit itaque conclusio.

Ordinarii locorum ius habent advigilandi administrationi omnium bonorum, quae data sunt paroeciis, missionibus et ecclesiis paroecialibus, quanquam sub cura sint religiosorum etiam exemptorum, dummodo 1) bona data sint intuitu paroeciae aut missionis, et 2) dum agatur de ecclesiis paroecialibus, hae sint dioecesis.

24. Imprimis sensum huius asserti dispiciamus oportet. Agitur de bonis quibuscumque, nimirum de donationibus, piis legatis etc. paroeciae, missioni aut ecclesiae paroeciali datis, quae vere sit dioeceseos, aut Vicariatus vel Praefecturae apostolicae.

Nomine **paroeciae** hic intelligitur distincta pars territorialis, cui sua peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignata, suusque peculiaris rector tanquam proprius eiusdem pastor praefectus est pro necessaria animarum cura (c. 216, § 3).

Sed hic maxime notandum est aliquando ecclesiam, cui paroecia est adnexa, pertinere ad Religiosos, esse ecclesiam vere religiosam: tunc paroecia est quadantenus ab ipsa separata; considerata ut ens iuridicum distinctum; aliquando vero ecclesiam, cui paroecia est adnexa, non esse proprie religiosorum, sed dioeceseos; tunc paroecia et ecclesia videntur esse unum et idem. Quocirca cum paroecia unitur pleno iure instituto religioso, paroecia quidem fit religiosa,

sed ecclesia potest non esse religiosa : v. gr. episcopus, Sancta Sede interveniente (cc. 1422-1425), tradit paroeciam religiosis, non cedit tamen ecclesiam ipsis, sed manet dioeceseos; tunc enim habetur paroecia religiosa, sed ecclesia non est proprie religiosa. Ita aliqui canonistae.

Nomen autem **missionis** diversimodi intelligi potest. Missiones sunt sacrae expeditiones quae, sive ad renovandum fervorem christianum et convertendos peccatores, sive ad dilatandam fidem catholicam inter haereticos vel infideles directe instituuntur.

Si ad catholicos dirigantur, *internae;* si ad acatholicos, *externae* possunt vocari. Missiones externae praesertim locum obtinent, ubi dioeceses et paroeciae non extant (52).

Magis stricte, prout scilicet in CIC sumitur, nomen missionis apponitur nomini paroeciae, ut significet istas *quasi-paroecias*, quales v. gr. in Anglia existunt, et rectorem pro parocho habent (53).

Leo XIII in Constitutione *Romanos Pontifices*, qua nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios regulares Angliae et Scotiae definiuntur, optime declarat in quo haec *missio* consistat. Excellit, ait, inter ministeria per Regulares exercita munus curationis animarum, quod saepe Religiosis deman-

(52) Vermeersch-Creusen, II, n. 682; Bouuaert-Simenon, nn. 889, 890.

(53) Vermeersch-Creusen, I, n. 606; Fanfani, n. 155.

datur intra fines ab Episcopo praestitutos; *locus autem iis finibus comprehensus missionis nomine designatur* (54).

Huiusmodi Britannicae missiones generatim in paroecias ad iuris tramites non sunt. Et qui praesunt hisce missionibus, rectores missionum vocantur (55).

25. Quid hisce verbis *intuitu paroeciae vel missionis* intellegatur, peroptime ipse Leo XIII in memorata Constitutione determinat atque explanat.

Duplex hypothesis contingere potest: prima, quod fideles dona elargiantur Religioso intuitu paroeciae vel missionis; secunda, quod elargiantur Religioso huiusmodi donationes independenter omnino a consideratione paroeciae vel missionis.

Ex liberalitate fidelium, inquit Summus Pontifex, ea parta bona sunt, qui cum sua sponte et voluntate dona largiantur, *vel intuitu missionis id faciunt, vel eius qui missioni praeest.*

Ne quis igitur obrepat error aut dissensus in hisce rebus, definiendum censemus, quae pecuniae, quaeque res viris religiosis oblatae intuitu missionum intellegantur. Namque receptum est hac in re, spectari primum oportere quid largitor voluerit; quod si non appareat, *placuit parocho vel rectori ecclesiae donationem praesumi.*

---

(54) *Acta S. Sedis*, Vol. XIII, p. 494-495.
(55) *Acta S. Sedis*, Vol. XIII, p. 488-489.

At multum ab hac regula recessum est propter consuetudinem, quam quidem ecclesiastici iuris periti fere communem evasisse docent, *cuius vi hodie pene solae oblationes quae in ecclesia sub missis ad altare fiunt*, et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectant; *consuetudine reliquas ferme omnes ecclesiis ipsis aut sacellis aut aliis certis finibus applicante* (56).

Ad amplius cognoscendam mentem donantium, Leo XIII hanc regulam practicam addit: Praeterea si in parochum rectoremve, a quibus spiritualia adiumenta fideles accipiunt, haud inconcinne praesumi potest collata liberalitas, ubi ecclesia bonis praedita sit, per quae religionis decori et ministrorum tuitioni prospiciatur; longe aliud iudicium esse debet, ubi eam bonorum copiam ecclesia non habeat, ac liberalitate fidelis populi unice aut potissimum sustentetur. Tunc enim largitores putandi forent voluisse consulere cultus divini splendori et religionis dignitati, ea ratione et modo quem ecclesiastica auctoritas decerneret (57).

26. His in antecessum praelibatis iam conclusio prius asserta demonstratur *et via iuris et responsis insimul canonistarum.*

---

(56) Reinffestuel, lib. II, *Decret.*, tit. 30, n. 193; Constit. Romanos Pontifices, *Acta S. Sedis*, vol. XIII, p. 495-496.

(57) *Acta S. Sedis*, Vol. XIII, p. 494-495; 488-489.

Principium iuris hac in re fundamentale hoc est: Ordinario loci esse rationem reddendam de administratione omnium bonorum ecclesiasticorum in dioecesi stantium, nisi fuerint ex eius iurisdictione subducta. Iamvero bona, quae dantur paroeciae aut missioni aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis subducta non sunt ab Ordinarii loci iurisdictione; igitur de eorum administratione est Ordinario loci ratio reddenda.

Sane CIC statuit expressis verbis: Bona quae religioso obveniunt intuitu paroeciae cui praeficitur, ipsi paroeciae acquirit; cetera acquirit ad instar aliorum religiosorum (c. 630, § 3).

Confirmatur ex canone 533, § 1, 4°: Pro pecuniae collocatione praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenetur: Religiosus quilibet, etsi Ordinis regularis alumnus, si pecunia data sit paroeciae vel missioni, aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis.

Hic canon directo agit de pecuniae collocatione et de quavis collocationis mutatione, non temporanea sed permanenti, quemadmodum tradunt communiter hodierni aliqui doctores, praeeunte Prümmer: nihilo tamen minus Ordinario loci ius tribuitur advigilandi huiusmodi bonorum administrationi (58).

---

(58) Prümmer scribit: « In omnibus istis collocationibus videtur agi de collocatione permanenti, non autem breviter transeunti » (q. 194).

Quod sapienter quoque monet cl. P. Vermeersch: Sine ulla distinctione Ordinarius loci exigere potest rationem administrationis bonorum, quorum collocatio eius consensui est obnoxia (59).

Et alibi: Pro pecuniae collocatione, si data sit paroeciae vel intuitu paroeciae, consensum Ordinarii loci habere debebit; de qua pecunia eidem rationem dare debebit (60).

27. Placet hic etiam sententiam afferre Congregationis de Propaganda Fide, confirmata a Leone XIII in memorata Constitutione *Romanos Pontifices*. Consilium, inquit, christiano nomini propagando super dubio proposito ob *missiones Britannicas* religiosis Ordinibus sive Institutis commissas die 19 Aprilis 1869, rescripsit in haec verba: « 1. Missionarii regulares bonorum temporalium, ad ipsos qua regulares spectantium, rationem episcopis reddere non tenentur; 2. *Eorum tamen bonorum*, quae missioni, vel regularibus intuitu missionis tributa fuerunt, Episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque ac a parochis cleri saecularis, rationem exigendi » (61).

Cocchi: « Bene observes cum cl. Prümmer hic agi de collocatione permanenti, non de temporanea ex qua pecunia denuo extrahatur » (in c. 533, n. 54).

Simenon: « Pecuniae collocatio indicat investimentum de se stabile, ita ut pecunia prompta seu liquida rursus haberi nequeat, nisi mediante quadam alienatione » (n. 632).

(59) Vermeersch-Creusen, I, n. 610.

(60) Vermeersch-Creusen, I, n. 750, 5.

(61) *Acta S. Sedis*, Vol. XIII, p. 494.

Et addit ipse Summus Pontifex: Nihil enimvero in his decernendis vel praecipiendis est actum, quod iuris communis doctrinis vulgatissimis apprime non congruat. Nam quaevis oblatio parocho aut alteri ecclesiae Rectori data piae cuiusdam causae intuitu, ipsimet piae causae acquiritur. Ex quo fit, ut qui rem pecuniamve oblatam accepit administratoris loco sit, cuius est illam erogare iuxta mentem et consilium largitoris.

Quocirca ea confirmantes quae a s. Congregatione de Propoganda Fide rescripta et mandata sunt, statuimus, religiosos sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debere de pecunia intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint aeque ac missionarios Cleri saecularis (62).

28. Quod vero attinet pecunias intuitu *missionum exterarum* datas, exceptio quaedam assignari potest. Haec doctrina primum a clarissimo P. Vermeersch tradita, iam communis evasit.

Si *missio extera* est definita, ipsa rei natura postulat ut Ordinaruis istius missionis de recepta pecunia doceatur, et vetat ne interea pecunia definitive conlocetur.

Si agitur de missionibus in genere seu de pluribus missionibus in quibus v. gr. religiosi operam

(62) *Ib.*, p. 495.

suam conferunt, tunc prudens administratio tota est penes religiosum acceptantem pecunias cum debita subordinatione a Superioribus, seu penes oeconomos ipsius Congregationis (63).

Cocchi: Si agatur de pecunia data religioso pro *missionibus exteris* in genere, tunc res committitur prudentiae acceptantis cum debita dependentia a propriis superioribus (64).

De Meester: Si data est pecunia in favorem missionum exterarum in genere, prudens administratio tota est penes religiosum acceptantem pecunias, cum debita subordinatione a superioribus (65).

Fanfani: Rationabiliter docet hanc doctrinam P. Vermeersch: equidem non videtur quare Ordinarius loci, in quo religiosus acceptans pecuniam invenitur, sese ingerere debeat circa collocationem pecuniae ad exteras missiones destinatae (66).

Simenon: Nomine missionis non spectantur omnes indiscriminatim missiones exterae, praesertim si ab ordine dependent (67).

29. Quocirca sapienter ac prudentissime decrevit sacra Congregatio de Propaganda Fide: Quod vero tabulis accepti et expensi ratio constaret, sacer idem Coetus die X Maii anno 1868 in mandatis dederat ut

(63) Vermeersch-Creusen, I, n. 606.
(64) Cocchi, IV, n. 54.
(65) De Meester, II, n. 980.
(66) Fanfani, n. 155.
(67) Simenon, n. 632.

bona missionum diligenter describerentur, ea secernendo quae propria missionum essent ab iis quae ad sodalitia sodalesve singulos pertinerent (68).

Summa ergo cura satagere debent religiosi ut bona Religiosorum secernantur a bonis Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae; ne forsam post multos exantlatos labores, vacuis inveniantur manibus. Idcirco, optime inspiciendum est, an benefactores Religiosorum missionariorum eleemosynas conferant in bonum praecipue ipsorum Religiosorum quos cognoscunt et diligunt, an potius in bonum ipsius missionis, Vicariatus aut Praefecturae.

Iuvat hic collegere, quod duo praeclari scriptores hodierni hac super quaestione docent.

P. Cocchi commentans can. 1536, de quo postea, scribit: « Non raro eleemosynae pro missionibus factae potius respiciunt Institutum, quod missiones curat, quam ecclesias in missionibus fundatas, quatenus oblatores intendunt illas ecclesias, stationes, quasi paroecias iuvare *mediante* Instituto religioso quod cognoscunt » (69).

Vermeersch, cui aliunde innitur ipse citatus Cocchi, ait: « Verum, quanvis Constitutio ista Leonis XIII, *Romanos Pontifices*, sit extensa a die 1 Ianuarii ad insulas Philippinas et ad missiones longinquas, ibi multo frequentius praesumptio erit in

(68) *Acta S. Sedis*, Vol. XIII, p. 494.
(69) Cocchi, VI, n. 219.

favorem Religiorosum, quam ecclesiarum vel missionum. Etenim benefactores potius religiosas Congregationes, quas cognoscunt et quibus fidunt, quam ignotas sibi missiones qua tales fovere intendunt; seu ut accuratius dicamus, nolunt, nisi mediante Instituto cui dant, missioni favere » (70).

ARTICULUS III.

De iure vigilantiae Episcoporum circa bona Rectoribus religiosis ecclesiarum non paroecialium nec missionum donata

30. *Plura* sunt nobis in antecessum enucleanda, quae nisi examussim distinguantur, magnam ingenerant confusionem; exinde ancipites sententiae theoreticae: dubia, vacillationes, anxietates practicae. Fatemur ingenue: aliqui CIC commentatores nimis opera sua festinaverunt.

Praecedenti articulo sermonem habuimus de bonis quae dantur ecclesiis paroecialibus aut missionum vel Religiosis quidem, sed intuitu paroeciae vel missionis.

Nunc tractatus noster respicit illa bona, quae dantur Rectoribus ecclesiarum, non paroecialium nec missionum; hi autem Rectores possunt esse aut saeculares aut Religiosi.

---

(70) Vermeersch-Creusen, II, n. 857, 8.

31. Ansam huic tractationi praebuerunt canones 1536, 1182, qui recta, ni fallimur, egent interpretatione. Canon 1536 ait:

Nisi contrarium probetur, praesumendum ea quae dantur Rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata (§ 1).

Donatio facta ecclesiae ab eius rectore seu superiore repudiari nequit sine licentia Ordinarii (§ 2).

Canon vero 1182 statuit: Etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis, aut ecclesiae sitae intra paroeciae vel missionis fines, administrat parochus vel missionarius, nisi agatur de ecclesia propriam administrationem habente, distinctam ab administratione paroeciae vel missionis, aut nisi aliud ferat ius peculiare aut legitima consuetudo (§ 2).

Parochus, missionarius, rector saecularis ecclesiae, sive saecularis is sit sive religiosus, debet huiusmodi oblationes administrare ad norman sacrorum canonum, deque eis rationem loci Ordinario reddere ad norman canonis 1525 (§ 3).

32. Videamus modo **quid veniat nomine Rectoris ecclesiae.** Definitionem vel si mavis descriptionem tradit can. 479, § 1: Nomine, inquit, rectorum ecclesiarum hic veniunt sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae, quae nec paroecialis sit, nec capitularis, *nec adnexa domui communitatis religiosae*, quae in eadem officia celebret.

Agitur ergo de *ecclesia saeculari*, quae non sit paroecialis, nec capitularis, nec religiosa, id est,

adnexa domui religiosae; ecclesiae etenim propriae Religiosorum alia ratione administrantur quam huiusmodi ecclesiae, cui praesunt Rectores.

Certum est Rectores harum ecclesiarum esse posse Religiosos duobus in casibus; primo, si ad acclesiam mere saecularem eligatur aliquis religiosus e licentia sui Superioris, ob penuriam v. g. sacerdotum saecularium et necessitates fidelium (cc. 486, 1182, § 2); altero, si agatur de ecclesia, quae pertineat ad aliquam Religionem exemptam quidem, sed non deserviat usui ipsorum exemptorum: tunc rector a Superiore nominatur, sed debet ab Ordinario loci adprobari (c. 480, § 2).

Rectores harum ecclesiarum sub auctoritate Ordinarii loci servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, debent curare seu advigilare ut onera fideliter adimpleantur et bona rite administrentur (c. 485).

Hi rectores rursus possunt removeri ad nutum Ordinarii loci; si vero rector religiosus sit, debet circa eius remotionem servari praescriptum pro remotione parochi religiosi (c. 454, § 5).

3. Debemus hic animadvertere auctores quosdam minus recte intellexisse canonem 479. Pro ecclesia quae *adnexa est communitati religiosae*, intellegunt duntaxat ecclesiam exemptam, quod falso et perperam faciunt; etenim ius loquitur de *communitate religiosa* quaecunque sit, non praecise de communitate exempta. Haec limitatio e iure canonico non de-

scendit, sed quodam inveterato praeiudicio iuridico sive canonico; verbis namque expressis dicit CIC: In canonibus qui sequuntur, veniunt nomine:

5° *Domus religiosae, domus alicuius religionis in genere* (c. 488). Quare igitur restringitur sensus verborum, quae iam ab ipso Codice explicantur?

Praeterea nunquam in iure canonico vocantur *Rectores ecclesiarum* ipsi Superiores religiosi relate ad proprias ecclesias. Quod observat Fanfani: Intellige tamen de ecclesia quae non sit ipsa ecclesia domui religiosae adnexa; equidem speciali non indiget rectore, sed ab ipsa communitate regitur. Tandem ipsae Congregationes religiosae quandam habent exemptionem latam; ergo inspiciendum est in singulis casibus, quid ipsis concedat ius, quid vero neget. In hoc canone verbis expressis excluduntur superiores a denominatione Rectorum ecclesiarum: ergo *cum ius loquitur de obligationibus rectorum harum ecclesiarum*, quod statuit, non potest recte extendi ad ecclesias Religiosorum, nisi aliunde comprehendantur (71).

---

(71) De Meester in c. 479 scribit: Agitur proinde de ecclesia ab ecclesia paroeciali separata subiectaque immediate episcopo... et quae demum non est ecclesia *domus religionis clericalis exemptae*, ubi sacra officia cura Superioris celebrentur (II, n. 898).

Aliter docent alii canonistae et rectissime quidem: Blat, n. 531; Vermeersch-Creusen, I, n. 526; Simenon, n. 588; Bondini, cp. III, 8; Fanfani, n. 457.

34. Exinde iam plana via deducitur nostra exegesis canonum 1536 et 1182. Defendimus hos canones directo referri ad Rectores ecclesiarum sensu can. 479, 480, § 2, 486, 1182, § 3.

Quod attinet canonem 1536, § 1, inspicienda et ponderanda sunt illius verba. Nisi contrarium probetur, inquit, praesumendum ea quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata.

Evidentissime canon iste loquitur de donationibus et eleemosynis factis Rectoribus ecclesiarum, quae nec paroeciales sunt, nec capitulares, nec adnexae domui religiosae ad normam can. 479. Quod vero addit *etiam religiosorum*, refertur ad casum, quo rectores huiusmodi ecclesiarum sint Religiosi ad normam can. 480, § 2.

Confirmatur deinde ex can. 1182, § 3, ubi legitur: Parochus, missionarius, *rector saecularis ecclesiae*, sive saecularis is sit, *sive religiosus*, debet huiusmodi oblationes administrare ad normam sacrorum canonum. Hic nihil, ne verbulum quidem de ecclesiis propriis Religiosorum, immo ipse contextus totius canonis 1182 excludit talem interpretationem.

Inter auctores, quos vidi, unus Simenon mihi videtur attigisse verum sensum horum canonum, siquidem scribit: *Donationes in favorem ecclesiae.* 1. Nisi contrarium probetur, praesumendum ea quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum,

esse ecclesiae donata; proinde non personae *nec religioni*, ad quam rector religiosus pertinet; 2. Donatio facta ecclesiae ab eius rectore seu superiore, si de rectore religioso agitur, repudiari nequit sine licentia Ordinarii (n. 1025).

35. Haec nostra interpretatio est valde consona principiis interpretationis legum. Cum enim hic agatur de lege aliquantulum obscura, ut sensum inveniamus, deficiente declaratione authentica, iuvat in memoriam revocare quod can. 18 statuit: Leges, inquit, ecclesiasticae intellegendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit ad locos Codicis parallelos... est recurrendum.

Cl. Cicognani haec animadvertit: *a*) Opus est latinam linguam in Codice adhibitam rite interpretari iuxta significationem propriam et usualem verborum. Interdum legislator determinat iuridicam seu canonicam significationem pro nonnullis verbis: tunc ergo non vulgaris significatio est attendenda, sed iuridica. Olim de significatione iuridica plurimorum verborum et locutionum in collectionibus iuris, normae et explanationes tradebantur sub titulo *de verborum significatione*. Exempla iuridicae significationis dantur in can. 488, de nomine Religionis, Ordinis, domus religiosae etc.

b) Parallela loca sunt quae invicem comparantur; et hic sunt canones, leges, locutiones, quae

agunt de eadem vel de simili re. Et canon nequit repugnari canoni (72).

Quare nos comparantes can. 479 et 1536 recte colligimus quid nomine religiosorum veniat in postremo. Accedit quod casus genitivi tum ecclesiarum, tum religiosorum regitur seu pendet *a Rectoribus;* unde merito deducimus hic agi de illis religiosis

---

(72) Cicognani, II, pag. 126-128. Nos non latet paullo aliter intellegi a praeclaris canonistis, sed hac in re illis non assentimur. Arbitramur non satis canones contulisse et materiam elaborasse.

Clarissimus Vermeersch-Creusen scribit: Donatio facta ecclesiae, ab eius rectore seu Superiore repudiari nequit sine licentia Ordinarii (c. 1536, 2). Etsi ante acceptationem, non sit ius ecclesiae acquisitum, nec rector alienet quod acceptare renuit, nihilo minus, ad tuendam utilitatem ecclesiae, ius aufert immediato rectori facultatem repudiandi donationem sine licentia Ordinarii.

Et cum nomine ecclesiae veniat hic persona moralis ecclesiastica, qualis est communitas religiosa, non poterit ergo Superior localis donationem repudiare sine licentia sui Ordinarii, id est, Superioris maioris, si agatur de religione clericali exempta, vel ipsius Ordinarii loci, si agatur de alia religione. *Nomine ecclesiae venit quoque universa missio vel dioecesis...* etc. (II, n. 857).

Reapse est quid inusitatum hoc postremum, quod nempe *nomine ecclesiae veniat in hoc canone ipsa dioecesis vel universa missio.* Manifestum est enim hunc canonem parallelum esse can. 479. Iam hic alia longe ratione est intellegendus.

Idem dicendum de aliis scriptoribus, qui ad litteram sequuntur egregium P. Vermeersch.

Quando vero agitur de donationibus factis ecclesiae Religiosorum, quinam melius sciunt utrum ipsis conveniat necne accipere donationem, quam ipsi Religiosi, qui suas obligationes, statuta, privilegia, si adsint, abunde cognoscunt?

rectoribus, de quibus can. 480, § 2, 486, 1182 § 4 loquitur.

36. Iam quam amplectimur doctrinam, definienda est: quamque hisce verbis placet nobis exprimere.

a) Donationes quae fiunt Rectoribus ecclesiarum saecularium, sive rectores hi sint saeculares sive religiosi, fiunt ipsis ecclesiis, nisi contrarium probetur.

Ratio est, inquit Vermeersch, quia donantis intentio potius rem sacram seu publicam utilitatem, quam commodum personae, quae rem sacram curat, respicit (73).

Praesumptio tamen, quam vincit probatio, cedit veritati. Haec autem probatio fieri potest directe vel indirecte, seu expressa largitoris intentione vel ex circumstantiis.

b) Hae donationes certissime nequeunt repudiari a rectore ecclesiae, quanvis sit religiosus, sine licentia Ordinarii loci. Etenim subiicitur ipsi Ordinario loci (c. 485, 1182, §§ 1, 2).

c) Ideoque rector saecularis ecclesiae, sive saecularis is sit sive religiosus debet huiusmodi oblationes administrare ad normam sacrorum canonum, deque eis rationem loci Ordinario reddere ad normam c. 1525.

Quae doctrina confirmatur etiam ex can. 1519; etenim loci Ordinarii est sedulo advigilare admini-

(73) Vermeersch-Creusen, II, n. 857, 3.

strationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sint nec ex eius iurisdictione fuerint subducta. Iam vigilantia administrationis harum donationum non est ex eius subducta iurisdictione

ARTICULUS IV.

De iure vigilantiae Ordinariorum loci quoad donationes legataque pia domui vel ecclesiis non paroecialibus Religiosorum facta

Iam quaestionem aliam tractandam aggredimur, quae non parum habet difficultatis; videlicet, quodnam sit ius Ordinariorum loci circa donationes legataque pia, quae facta fuerint domui vel ecclesiis non paroecialibus Religiosorum.

Ratio difficultatis sumitur tum *e condicione Religiosorum* de quibus habetur sermo, tum *ex ipsius iuris praescriptis*, quae subobscura videntur.

Ut lucem aliquam quaestioni afferamus, fundamenta iuridica primum iaciamus oportet.

37. **Principia iuris canonici ad solutionem** Quod bona Religiosorum ius canonicum statuit quae sequuntur:

a) Religiones, provinciae, domus religiosae sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia *cum reditibus stabilibus seu fundatis*, nisi earum capacitas in regulis et constitutionibus excludatur aut coarctetur (c. 531).

Hic agitur de vera proprietate, quae intellegenda est universaliter quoad omnia bona etiam fundata (74).

b) Bona tum Religionis tum Provinciae domusque administrantur ad normam constitutionum (c. 532, § 2).

c) In Religionibus iuris pontificii Ordinario loci non licet:

1° Constitutiones ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere (c. 618, § 2). Quare bene perpendendum est utrum donationes Religiosis factae, ex intentione donantium, potius transeant in rem oeconomicam ipsorum.

d) Pro pecuniae collocatione, si agitur de bonis Religiosorum servandum est praescriptum can. 532, § 1, et can. 512, § 3.

38. Huiusmodi administratio oeconomica Religiosorum non est omnino independes, cum agitur de quibusdam bonis; nam ipsum ius canonicum limitationem apponit, cum subiungit: Ordinario non licet de re oeconomica religiosorum cognoscere, salvo praescripto can. 533-535 (can. 618, § 2, 1°).

Haec autem iuris praescripta sunt sequentia:

a) Loci Ordinario ius insuper esto cognoscendi:

2° De administratione fundorum legatorumve de quibus in can. 533, § 1, nn. 3, 4.

(74) Prümmer, q. 193; Cocchi, n. 51.

Qui canon ita se habet: Superior vel Antistita domus Congregationis religiosae, si qui fundi domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impedendam.

b) Praevium consensum Ordinarii loci obtinere tenentur pro pecuniae collocatione (c. 533, 1), necnon pro qualibet collocationis mutatione (c. 533, 2).

Ex his manifeste consequitur, bona, quae subducta non sunt e iurisdictione Ordinarii loci quoad collocationem et collocationis mutationem, nec subducta esse quoad vigilantiam (cc. 535, 533).

39. **De quibus religiosis loquatur can. 533.** Extra controversiam est hic non agi de *Religiosis regularibus*, cum eorum domus non veniant *nomine domus Congregationis religiosae* (c. 488, 2°).

Pariter extra controversiam est sermonem institui de Religiosis Congregationum non exemptarum.

Sed controvertitur, utrum hoc canone includantur Superiores Congregationum exemptarum.

Si verba iuris *materialiter*, id est prout iacent, considerentur, includi videntur religiosi exempti votorum simplicium (c. 488, 2°, 7°); nam canon 533 loquitur de Superiore Congregationis religiosae. Atqui etiam hi religiosi pertinent ad Congregationem religiosam, non ad Ordinem regularem.

Ideo plures canonistae arbitrantur omnes religiosos *praeter regulares* subiici praedicto canoni.

Chelodi: Textus legis non distinguit inter Congregationem exemptam et non exemptam, utramque igitur complectitur (75).

Simenon: Quidam excludunt ab hoc praescripto Congregationes exemptas; verba tamen legis sunt generalia (76).

Prümmer: Religiosi exempti, quanvis tales fundationes iuxta can. 1550 possint acceptare cum sola licentia proprii Superioris maioris, tamen videntur pecuniam inde acceptam non posse collocare sine licentia Ordinarii loci (77).

Et addit in nota: Canon 1550 non ita facile conciliatur cum can. 533, § 3; quare nonnulli scriptores putant in hoc ultimo loco non esse sermonem nisi de Congregationibus non exemptis.

Fanfani excludit tantum regulares, sicuti et P. Blat (78).

40. Contrariam sententiam tenent Vermeersch-Creusen: Obligatio requirendi praevium consensum Ordinarii loci communis est viris et mulieribus, propria tamen Congregationum religiosarum. Non pertinet itaque ad Ordines religiosos; neque, ut arbitramur, ad Congregationes clericales *exemptas*, quae ex can. 1550 pro cultu in suis ecclesiis non magis quam regulares pendent ad Ordinario loci. Ceterum verba,

(75) Chelodi, n. 260, not. 1.
(76) Simenon, n. 632.
(77) Prümmer, q. 194.
(78) Fanfani, n. 155; Blat, nn. 597, 599.

etiam exemptae quae v. g. ponuntur, c. 512, § 2, 2°, hic desiderantur. Nobiscum De Meester, II, n. 980; Schäfer, p. 131.

Huic sententiae album calculum adiicimus. Rationes, quibus innitimur, sunt: *a*) Cum Regulares eximi videantur non *ratione votorum solemnium* (c. 488, 2°, 7°), quae profitentur, sed potius ratione privilegii exemptionis quo gaudent; ex analogia, iuxta can. 20, Regularibus hos exemptos aequiparamus. Confirmatur ex comparatione cum can. 1550, uti dicit P. Vermeersch; hac ratione solvitur difficultas conciliationis, de qua loquebatur P. Prümmer. Surgunt huiusmodi difficultates, cum quis ea conciliare aggreditur, quae sunt inconciliabilia; quia non agunt de eadem re. Ea omnia, quae competunt Episcopo vel Ordinario loci ex cc. 1545-1549, competunt Superiori maiori ex c. 1550, inter quae iura certo invenitur hoc de quo agimus.

a) Alia ratio efficacior desumitur e comparatione huius canonis 533 cum fontibus, e quibus desumptus est. Praecipuus est Constitutio Leonis XIII, *Conditae a Christo*. In ipsa praecipue agitur de Congregationibus votorum simplicium, quae constituuntur sub regimine Moderatoris generalis, *salva Ordinariorum iurisdictione*, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.

Postea cum tractat de Congregationibus iuris pontificii, n. IX, haec habet: *Bonorum quibus Sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderato-*

rem supremum... esse debet. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere.

Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium.

Gravissima verba sunt, quae leguntur sub n. XI, quibus datur intellegi, Episcopum tantum cognoscere debere de fundorum legatorumve administratione, cum agitur de muliebris sodalitatibus deque viris sacerdotio carentibus. En verba litteraliter adducta: Episcopus in visitatione potissimum iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. Ad rem vero oeconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium *ne cognoscat* nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

In hoc numero videtur Summus Pontifices interpretari et restringere verba et praescriptum numeri IX; qua restrictione fieret, ut neque ipsi Religiosi clericalis religionis tenerentur rationem Episcopo reddere de illis fundis et legatis.

Hanc difficultatem iam urgebat P. Bastien ante Codicem, quae aliunde statim adparet, dum legitur (79).

(79) En verba huius auctoris: Ainsi donc que ces fonds, destinés au culte ou à des œuvres de bienfaisance, soient don-

41. Verumtamen dicendum est novum ius aliud statuere, quoad Religiosos votorum simplicium non exemptorum, quidquid sit de interpretatione iuris veteris. Etenim can. 6, 3. statuit: *Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex ipsa ipsorum sententia diiudicandi* (80).

Iamvero novum ius perspicue loquitur saltem de Superiore congregationis religiosae, ergo huic legi certissime subiicitur, quae interpretanda est iuxta can. 18, 19.

42. **De quibus hic bonis agatur.** Verba canonis nullum dubium patiuntur; sermo instituitur de fundis piisque legatis in sensu supra tradito n. 8. Insuper hae donationes ut relinquantur oportet ad Dei cultum beneficentiamve ipso loco impendendam: non vero relinqui debent in bonum ipsorum religiosorum ad normam can. 532.

Praeterea agitur de fundis piisque legatis, quae fiant *domui* religiosae non vero de illis quae relin-

---

nés à une maison particulière ou à la congrégation, les droits des évêques son intacts.

A première vue il semblerait qu'aucune distinction ne doit être admise entre les congrégations de prêtres et celles composées de laics, frères ou sœurs; mais un passage identique de l'article XI nous permet d'affirmer que les premières échappent même en cette matière à la jurisdiction de l'évêque diocésain (*Constitution « Conditae a Christo »*. Texte et Commentaire par Dom P. Bastien, Bénédictin: 1902).

(80) Cf. Maroto, I, n. 169; Cicognani, II, p. 42.

quantur *provinciae* aut *religioni*. Verba legis luce clariora sunt.

Ita docent communiter recentiores canonistae, uno aut altero reluctante. Id tradit P. Vermeersch: Observes hic agi de fundis qui *domui tribuantur*, non autem de legatis quae fiant *ipsi congregationi religiosae* (81).

Fanfani: *Domui*, ergo *non provinciae* vel *religioni*, maxime si provincia dioecesis fines excedat et religio sit iuris pontificii (82).

43. **De loco in quo bona sunt impendenda.** Requiritur necessario ut pecunia sit impendenda in beneficentiam ipsius loci in quo sita est domus religiosa cui fit pium legatum. Iamvero locus iste est vel ipsa civitas ubi domus sita est, vel ad summum dioecesis ad quam illa pertinet. Quod autem intellegatur etiam dioecesis, videtur manifestum cum ex ipso canone, tum etiam e *Constitutione « Conditae a Christo »*.

Fanfani scribit: Ipso loco impendendam; ergo si pecunia religiosis data fuerit ad beneficentiam aliaque

(81) Vermeersch-Creusen, I, n. 606.

(82) Fanfani, n. 155. Contrarium docet Chelodi relate ad Provinciam, quae, placito huius auctoris, tenetur Ordinario loci rationem reddere de huiusmodi fundis et piis legatis (n. 260). Huic sententiae nullo modo assentimur. Ratio, quam adducit Chelodi, haud nos convincit: quotiens scriptores, fulti ratione aut analogia legis, uti dicunt, potius sententiam suam praeconceptam quam ipsum legis praescriptum defendunt.

Igitur si pia legata relinquantur alicui Provinciae religiosae, immo ipsi domui, ut ex. gr. dentur *missiones internae* ubicumque religiosi voluerint, de huiusmodi legatis non tenentur ullam reddere rationem ipsi Ordinario loci.

opera bona fovenda *quomodocumque* et *ubicumque* eis placuerit, necessarius non est pro huiusmodi pecuniae collocatione praevius consensus Ordinarii loci (83).

Simenon: Fundi indicant quaecunque bona frugifera. Eo ipso loco, id est, in ipsa ecclesia domus religiosae vel in paroecia aut dioecesi ubi domus est sita (84).

Vermeersch: Eo ipso loco ubi est domus, vel etiam dioecesis, in qua domus est sita. Ratio legis videtur hunc sensum postulare (85).

De Meester: Si qui fundi domui tributi sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco, Ordinario loci subiecto, impendendam (86).

44. **Discutiuntur aliqua exempla a P. Vermeersch adducta.** Exempla erunt - ait egregius canonista - fundatio missarum in sacello, lecti in nosocomio, luminis coram Sanctissimo, capitalis ad alendum magistros scholae, bursae pro studiis (87).

Nobis hac in re generatim et in exemplis a P. Vermeersch allatis specialiter distinguendum videtur: si fundi et pia legata tribuantur *domui religiosae virorum*, intuitu ipsorum ut ipsi doceant, ut commode

---

(83) Fanfani, n. 155.

(84) Simenon, n. 632.

(85) Vermeersch-Creusen, I, n. 606; ubi pro edaem sententia allegat Brandy, n. 194; Schäfer, p. 131.

(86) De Meester, II, n. 980.

(87) Vermeersch-Creusen, I, n. 606.

vacare possint magisterio, **ita ut donans potius respiciat Religionem, erga quam est beneficus, quam scholas vel alumnos et civitatem,** in qua eorum domus sita est, arbitramur huiusmodi bonorum administrationem esse omnino independentem a vigilantia Ordinarii loci; idem dicendum de aliis donationibus, quae de industria tribuantur in merum beneficium religiosorum; v. gr. si aliqua persona pia velit solvere pecuniam, expensas pro lampade Sanctissimi intra domum asservati; si vero legata **domui donata,** respiciant directo beneficentiam localem seu dioecesanam, ita ut, religiosis abeuntibus, ipsa bona et legata remanere debeant lege fundationis, tunc quidem subiici vigilantiae Ordinarii loci.

Ratio semper est eadem; etenim primo in casu bona huiusmodi ad internam religionis administrationem seu oeconomiam pertinere videntur, non vero in altero; atqui nullum ius vigilantiae competit Ordinario loci quoad bonorum administrationem in Religionibus iuris pontificii (c. 618).

45. Ex hucusque expositis manifeste deducuntur hae conclusiones:

a) Superior *domus* Congregationis religiosae *exemptae* non tenetur ad rationem reddendam Ordinario loci de administratione fundorum legatorumque piorum, quae domui relicta sint ad Dei cultum beneficentiamve ipso loco impendendam. Ideoque nec tenentur hi religiosi rationem reddere de pecuniae collo-

catione aut collocationis mutatione, hisce legatis respondenti.

b) Superiores Congregationis religiosae *non exemptae* non tenentur reddere rationem Ordinario loci de administratione fundorum legatorumque piorum, si relicta sunt vel donata *Religioni* aut *Provinciae*, immo *ipsi domui*, dummodo hac lege donata sint, ut possint impendi quocumque loco.

c) Superior domus Congregationis *non exemptae* tum demum rationem reddere tenetur Ordinario loci, cum fundi legatave pia tributa sunt domui ad Dei cultum beneficentiamve ipso loco, civitate, dioecesi impendendam. Tunc enim et rationem reddere debebit de pecuniae collocatione et de collocationis mutatione, si permanens sit haec collocatio.

d) Nihilominus Ordinario loci incumbit tantum ius vigilantiae in huiusmodi bonorum administrationem; **at ipse non potest pro suo arbitrio haec bona ad alios fines ac praestitutos adhibere, nec cogere ut adhibeantur.**

ARTICULUS V.

De iure Ordinarii loci quoad bona fiduciaria religiosis concredita

46. Quid fiduciae et fideicommissarii appellatione eveniat, supra innuimus n. 11. Quaedam iura civilia fideicommissionem non admittunt; alia sub quibusdam condicionibus (88).

(88) Codex Belg. iuxta Simenon, n. 1003; cod. hisp. art. 777 sqs.

Quod vero attinet Ius canonicum scribit Vermeersch: Notabile istud est obligationem non imponi nisi clericis et religiosis. Si laicus sic sit institutus, non aliam habet obligationem nisi reddendi rationem et permittendi visitationem Ordinarii (89).

Nihilominus S. C. Concilii in responsione data 9 Augusti 1909 episcopo Bellovacensi dixit omnes sive sacerdotes sive laicos teneri (90).

47. Tota iuris canonici doctrina hisce conclusionibus exprimi potest.

a) Religiosus omnis, ideoque etiam *exemptus*, qui bona ad pias causas sive per actus inter vivos, sive ex testamento accepit, debet de sua fiducia Ordinarium loci certiorem reddere eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare, cum bona sint attributa ecclesiis loci vel dioecesis, incolis aut piis causis eiusdem loci vel dioeceseos iuvandis.

b) Religiosus exemptus debet reddere rationem de sua fiducia Ordinario suae religionis, id est, Superiori maiori, si bona fiduciaria non sunt attributa loco determinato.

c) Religiosus non exemptus in hoc ultimo casu etiam iuxta communem doctrinam canonistarum tenetur reddere rationem *Ordinario loci in quo ipse* commoratur.

---

(89) Vermeersch-Creusen, II, n. 836.

(90) *Acta S. Sedis*, I, p. 766, cit. a Simenon, l. c.

d) Nullus religiosus tenetur certiorem facere Ordinarium loci de accepta fiducia, si bona data fuerint in utilitatem suae Religionis.

48. Demonstrantur imprimis ex ipso CIC; nam can. 1516 sat perspicue id tradit.

Clericus vel religiosus, inquit, qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento *fiduciarie* accepit, debet de sua fiducia Ordinarium certiorem reddere eique omnia iustiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare (c. 1516, § 1).

Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro executione piae voluntatis ad normam canonis 1515 (§ 2).

Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius de quo in §§ 2, 2, est loci Ordinarius; secus, est Ordinarius eiusdem religiosi proprius (§ 3).

49. Consonant et recentiores scriptores canonistae. Prae omnibus claritate eminet P. Fanfani, qui ait: Quotiens bona fiduciaria, sive per actum inter vivos sive ex testamento religiosus accipiat, videndum est ante omnia *utrum ad utilitatem suae religionis* vel ad iuvandas causas pias, quae ad propriam religionem non pertineant, relicta fuerint.

Si primum, nullam rationem eorundem bonorum religiosi Ordinario loci reddere tenentur, bene quidem Superioribus suae Religionis.

Si Secundum, iterum subdistinguendum est: aut causae piae respiciunt ipsum locum vel dioecesim in quibus religiosi inveniuntur, et tunc religiosi, quantumvis exempti, tenentur *a*) Ordinario loci eadem bona cum omnibus oneribus adnexis indicare; *b*) stare eiusdem mandatis quoad conlocationem et conservationem ipsorum; *c*) eidem rationem reddere de adimpleta pia donatoris voluntate: *aut sunt pro causis piis in genere*, e. gr. pro beneficentia in favorem cuiuscunque et ubicunque exercenda, et tunc religiosi, si sunt exempti non teneri videntur Ordinarium loci certiorem reddere de sua fiducia (91).

50. Difficultas esse potest uno tantum in casu, nimirum, cum agitur de bonis fiduciariis religioso non exempto concreditis, quae non dioecesi sed alio quocumque loco sunt distribuenda.

Vermeersch, Cocchi, Blat censent etiam in hoc casu religiosum non exemptum teneri ad reddendam rationem ipsi Ordinario loci.

Vermeersch: Si religiosus est religionis clericalis exemptae, Ordinarius erit eius superior maior; secus erit Ordinarius loci, tanquam solus Ordinarius talis religiosi (92).

Cocchi: Ordinarius de quo in canone 1516, §§ 1-3 est sermo, erit Ordinarius loci, si agatur de bonis fiduciariis alicui religioso commissis, qui attribui debeant

(91) Fanfani, n. 176. Cf. etiam Simenon, n. 1003.
(92) Vermeersch-Creusen, II, n. 836.

ad loci seu dioecesis ecclesias, incolas, pias causas iuvandas; erit Ordinarius eiusdem religiosi proprius, si agatur de bonis non ita tradendis. Ergo si agatur de sodali religionis clericalis exemptae, Ordinarius erit eius Superior maior; pro sodali religionis non exemptae, Ordinarius erit Ordinarius loci, utpote unicus illius religiosi Ordinarius (93).

Blat: In religionibus votorum simplicium, quibus specialiter non fuerit concessum exemptionis privilegium, Ordinarius erit Ordinarius loci in quo sita est domus, quam inhabitat ipse religiosus (94).

51. Non audeo huiusmodi sententiae contradicere, eo quod fundamentum habet in iure (c. 198), ubi nomen Ordinarii non tribuitur Superioribus religiosis non exemptis; nihilo tamen minus verba canonis 1516, § 3 sunt poderanda. Dicit enim: Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius de quo in §§ 1, 2, est loci Ordinarius.

Hic statuitur quinam sit Ordinarius *ratione bonorum distribuendorum, non ratione personae*, quae bona fiduciaria recipit: fit inde ut si ex. gr. religiosus, qui inhabitat unam dioecesim, bona fiduciaria accipit pro alia determinata, loci Ordinarius non erit ille penes cuius dioecesim commoratur religiosus, sed Ordi-

(93) Cocchi, VI, n. 195.
(94) Blat, in can. 1516, n. 428.

narius ubi sita est ecclesia, cui bona sunt distribuenda. Ideo canon 1516, § 3 non sine causa dicit, Ordinarius de quo in §§ 1, 2, est loci Ordĭnarius; huic Ordinario rationem reddere debet de bonis fiduciarie acceptis; hic Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur etc.

Quare CIC tantum prae oculis habuit Ordinarium loci, dioeceseos, quibus dantur bona; non vero Ordinarium personae, nisi agatur de religiosis exemptis. Pro aliis vero religiosis standum est aliis iuris praescriptis; quaestio praesens resolvi nequit ex hoc canone. Ideo ego potius inclinarer in sententiam, quae teneret in hoc casu religiosum non exemptum a suo proprio Superiore dependere eique esse rationem reddendam. Insuper prae oculis hic habenda esset doctrina, quam defendit Cl. P. Larraona (cf. n. 5), quaeque forsan confirmari posset ex hoc can. 1515, § 3.

PARS TERTIA

De bonis religiosorum circa quae loci Ordinarius non habet administrationem neque vegilantiam.

Materiam huius postremae tractationis nobis praebent et canon 1550 et addubitatio initio proposita. Quaeritur nimirum quaenam iura competant loci Ordinario circa pias fundationes in ecclesiis etiam paroecialibus religiosorum exemptorum fundatas. Determinata doctrina pro exemptis, iam adparet quoque quid pro non exemptis tenendum sit.

52. Tota doctrina, quae aliquibus nimis obscura visa est, concluditur duabus propositionibus, quae aliunde perspicue continentur in can. 1550, ita statuente:

Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, iura et officia Ordinarii loci, de quibus in canon. 1545-1549, exclusive competunt Superiori maiori.

a) **Ordinarius loci ius habet advigilandi piis fundationibus stabilitis in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum**

exemptorum, dummodo ecclesiae sint dioecesis, et quantunvis paroecia pleno iure incorporata sit religioni exemptae.

b) **Ordinarii loci ius non habent advigilandi piis fundationibus in ecclesiis religiosorum exemptorum stabilitis, si ecclesiae, quanvis paroeciales, sint religiosorum et etiamsi iure non pleno incorporatae sint instituto exempto; tunc enim omnia iura et officia Ordinariorum loci exclusive competunt Superiori maiori Religionis.**

53. Sensus nihilominus huiusmodi assertorum dispiciendus est. Duplex hypothesis fieri potest circa ecclesias religiosorum exemptorum; 1) ut ecclesia non sit paroecialis; 2) ut paroecialis sit. Hi duo casus manifestissime inveniuntur in praelaudato canone, cum dicit: Si agatur de piis fundationibus *in ecclesiis etiam paroecialibus*... id est, in ecclesiis quae paroeciales vel non paroeciales esse possunt.

Rursus evenire potest ut ecclesia sive paroecialis sive non paroecialis sit, 3) in dominio vel usu habeatur religiosorum vel ratione quadam stabili ipsis subsit; 4) in dominio non habeatur religiosorum, sed dioeceseos, immo nec ipsis subsit quoad usum aut ratione quadam stabili.

Potest iterum contingere ut ecclesia paroecialis sive religiosa sit seu non sit, 5) pleno iure incorporata sit domui religiosae; 6) iure non pleno eidem sit unita, Cf. can. 1425, et supra n. 14.

54. Hanc ultimam divisionem nihil prorsus conferre ad quaestionis solutionem inconcusso modo tenemus. Etenim inter effectus quos gignit incorporatio

domui religiosae pleno iure facta, *non inveniuntur ecclesiarum* paroecialium, quae incorporantur, dominium aut usus proprie dictus.

Sane quidem huiusmodi effectus ita describuntur a P. Cocchi: Quoad incorporationes cum domo religiosa adverte: Si a Sede Apostolica *paroecia domui religiosae* uniatur iure non pleno, *seu ad temporalia tantum* quod attinet tunc; 1) domus religiosa particeps fit solummodo fructuum seu bonorum temporalium paroeciae; 2) Superior autem religiosus sacerdotem e clero saeculari in eadem instituendum Ordinario loci praesentare debet; 3) eidem sacerdoti congrua portio a Superiore religioso assignari debet (95).

Ideo peropportune observant Wernz-Vidal: quare omnino expedit, ut bona illa serventur distincta cum propria administratione, ne in casu solutae incorporationis praeter confusionem et iuris incertitudinem inducatur violatio iustitiae (96).

Sin autem pleno iure unita sit domui religiosae tunc: 1) paroecia fit religiosa, non vero per se ecclesia paroecialis fit ecclesia religiosorum; 2) Superior sacerdotem e sua religione nominare potest ad curam actualem animarum exercendam, cura habituali ad religionem manente; 3) Ordinarii loci est eundem probare et instituere; 4) Religiosus sic institutus Ordinario loci subest quoad iurisdictionem, correctionem, visita-

(95) Cocchi, VI, n. 93. Non cognoscimus ullam paroeciam hoc modo incorporatam religiosae communitati.

(96) Wernz-Vidal, II, n. 175.

tionem, et quoad ea quae ad curam animarum pertinent ad normam canonis 631 (97).

Quisque videt, et casus aliquos cognoscimus, ecclesiam paroecialem concredi posse pleno iure religiosis exemptis et non exemptis, quin tamen ad ipsos dominium aut usus illius ecclesiae transferatur.

55. Piae ergo fundationes stabilitae in ecclesiis religiosorum exemptorum sive paroecialibus sive non paroecialibus, dummodo ecclesiae non sint proprie religiosae, subductae non sunt a iurisdictione Ordinariorum loci, quibus proinde competunt omnia iura et officia, de quibus agunt canones 1545-1549.

Ex adverso, si ecclesiae sive paroeciales sive non paroeciales in dominio aut usu habeantur religiosorum exemptorum, tunc subductae omnino sunt e iurisdictione Ordinarii loci quoad pias fundationes, et omnia iura et officia, quae iuxta canones 1545-1549 competerent Ordinario loci, competunt Superiori maiori, Generali scilicet aut Provinciali, aut quibuscunque in iure canonico hoc nomine designantur (c. 488, 8° (98).

56. Haec, ni fallimur, est etiam sententia clarorum virorum Vermeersch, Blat, Cocchi, quos hac de re consulere potuimus; nam alii alte tacent.

Egregius canonista P. Vermeersch, quotienscunque eximit religiosos exemptos ab obligatione reddendi Ordinario loci rationem de piis legatis, dona-

(97) Cocchi, VI, n. 93.
(98) Cf. Fanfani, n. 173.

tionibus... factis eorum ecclesiis, supponit ecclesias in dominio aut usu haberi religiosorum, esse nimirum ecclesias vere religiosorum. *Regularis* seu *Religiosa* est ecclesia, inquit alio loco, quae vel ab initio vel postea, instituto religioso legitime est plene addicta. Haec non est confundenda cum ecclesia quae ad usum precarium, sive indefinite, sive ad certum tempus, sive modo transitorio communitati religiosae addicitur (99).

Expresse autem hoc docet in praesenti quaestione. En eius verba:

Itaque, quanvis pro missis manualibus, religiosi exempti stare debeant definitionibus Ordinarii loci, cum agitur de exigenda dote fundationis, haec libere definitur ab Ordinario seu Superiore maiori religionis exemptae, sive haec sit clericalis, sive laicalis. *Dummodo tamen agatur de ecclesia quae vere sit religiosorum, qualis non est ecclesia saecularis religiosis concredita* (100).

P. Blat: Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis etiam paroecialibus sic dictis propter paroeciam ibi constitutam, *non de paroeciis saecularium ecclesiarum*, quae forsan religiosis concreditae sint, religiosorum exemptorum, tum regularium, tum in Congregatione religiosa, quae nempe ad hos iure pertineat, iura et officia Ordinarii loci de quibus in can. 1545-

(99) Vermeersch-Creusen, II, n. 476.
(100) Vermeersch-Creusen, II, n. 869.

1549, competunt Superiori maiori praedictorum religiosorum (101).

P. Cocchi pulchre in compendium redigit iura et officia, et postea subiungit, *hic sermonem haberi de ecclesiis, quae in dominio vel usu habentur religiosorum exemptorum*. En eius praeclara verba.

Iura et officia Ordinarii loci quoad condiciones admissionis piae fundationis (c. 1545), quoad acceptationem (c. 1546), quoad consensum (c. 1546), quoad pecuniae conlocationem (c. 1547), quoad exemplaria tabellarum (c. 1548), quoad vigilantiam, inspectionem, rationum redditionem (c. 1549), si agatur de piis fundationibus in ecclesiis etiam paroecialibus religiosorum exemptorum, exclusive competunt Superiori maiori.

Agitur de ecclesiis ad religiosos pertinentibus, non tantum de ecclesiis saecularibus religiosis concreditis; agitur de religione exempta; Superior maior erit Provincialis vel Generalis iuxta Constitutiones (102).

57. *Si agatur de religiosis non exemptis*, etiam prae oculis habenda est distinctio facta circa proprietatem et usum ecclesiarum; quia etsi non sint omnino subductae a iurisdictione Ordinariorum loci, tamen indubium est ad Superiores etiam attinere, ut videant convenientiam aut non conveniantiam acceptandi pias

(101) Blat, in can. 1550, n. 468.
(102) Cocchi, n. 230.

fundationes in suis ecclesiis. *Hoc enim intime connectitur cum regimine communitatis.* Iam nullus potest melius cognoscere et iudicare utrum conveniat necne admissio huiusmodi piarum fundationum, quam ipse religionis Superior.

CONCLUSIO

58. Ex hactenus disputatis atque enucleatis liquido adparet, quid respondendum sit quaesitis ab Episcopo propositis.

a) Episcopus habet administrationem aut saltem vigilantiam illorum bonorum, quae etiamsi Religiosis immediate donentur, ea tamen ratione donantur, ut inserviant ecclesiae aedificandae, instaurandae, exornandae, quae sit dioeceseos (nn. 18-19); item habet administrationem illorum bonorum, quae Religiosis donantur intuitu *ipsius dioecesis* aut *missionis* (nn. 20, 28).

b) Habet ius tantum vigilantiae circa illa bona, quae dantur parocho religioso intuitu paroeciae aut missionis, dummodo paroecia ad dioecesim pertineat (nn. 23-29).

Insuper circa bona quae dantur Rectori ecclesiae, sive Rector sit saecularis sive religiosus (nn. 31-36); necnon circa legata, quae domui Religiosorum non exemptorum tribuuntur ad Dei cultum beneficentiamve ipso loco vel dioecesi impendendam, non vero si provinciae vel religioni in genere donentur (nn. 39-44).

Tandem ius habet invigilandi bona fiduciaria, quae tribuuntur Religiosis sive exemptis sive non exemptis, dummodo ipsi dioecesi ex voluntate donantis debeant tradi (nn. 49-51).

c) Denique non habet ius vigilantiae circa pias fundationes, quae stabiliuntur in ecclesiis Religiosorum exemptorum, dummodo istae ecclesiae in dominio vel usu habeantur religionis exemptae. Quod vero incorporatae sint communitati religiosae pleno iure aut non pleno iure, nihil attinet ad rem de qua modo agitur (nn. 52-57).

Ad laudem et gloriam Dei beataeque V. Mariae Iurisperiti caelestis Matris.

30402